



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatus De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae**

**Charlas, Antoine**

**Leodii, 1684**

Liber Undecimus In quo expenduntur aliorum Scriptorum Gallicanorum  
sententiae de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38227**

## LIBER UNDECIMUS

*In quo expenduntur aliorum Scriptorum  
Gallicanorum sententiæ de Libertati-  
bus Ecclesiæ Gallicanæ.*

**P**Auci hodie scribunt in Gallia, qui oc-  
currentem autoritatis summi Pontificis  
constringendæ, Regiæ verò amplifican-  
dæ, occasionem, idque sæpenumerò  
sub obtentu tuendarum suarum Libertatum, ob-  
viis ulnis non excipiant; ut ferè dixeris Galliam  
penitere, quod olim Sanctam Sedem tantâ reve-  
rentiâ prosecuta fuerit, tantâ humilitate audierit,  
tanto zelo defenderit. Singulorum dicta perse-  
qui, neque est necessarium, & nimii, diutur-  
nionisque laboris opus est. Quamobrem præcipua  
tantùm Capita seligemus, ex quorum scilicet exa-  
mine, de cæteris facilè feretur iudicium; præser-  
tim cum etiam quæ hæctenus dicta sunt, vel sola  
sufficere viderentur.

## CAPUT PRIMUM.

*De Libris Illustrissimi Petri de Marca de Concordia Sa-  
cerdotii & Imperii, seu de Libertatibus Ec-  
clesiæ Gallicanæ.*

1. **C**ommota fuerat, non solum Roma, sed etiam Gal-  
lia editis à Petro Puteano voluminibus, de quibus in  
superiori libro disputatum est. Quo circa iussus est Illustris-  
simus Petrus de Marca doctrinam illic contentam ita tem-  
perare, ut schismatis quidem, cuius prænuncia videbantur  
illa volumina, suspicionem amoveret; Libertates tamen Ec-  
clesiæ Gallicanæ illæsas, integralque servaret. Munere sibi  
demandato ad Regiorum Ministrorum voluntatem appositè,  
sed non sine præiudicio Ecclesiæ, functus est. Cum enim  
Aulæ industriâ esset instructus, ita res componere conatus  
est, ut cuique parti satisfacisse videretur; licet revera unius  
tantum causam egisset.

2. In quatuor libros opus suum distinxit; plures tamen  
pollicitus, fortè cum animo standi promissis; fortè ut Ec-  
clesiæ, si quatuor primis se læsam doleret, speraret postero-  
ribus hanc sibi refarciendam injuriam, quod aliquoties infi-  
nuat, & in libris ipsis, & in Apologiis suis. Quatuor illis,  
quatuor alios addidit Stephanus Baluzius post mortem Auto-  
ris, ab eo tamen, ut asserit, compositos, in quibus ita non  
refarcitur, ut etiam augeatur damnum ab aliis illatum. Et  
quantum ex postremis Marcæ operibus, sive manuscriptis,  
sive etiam typis excusis conjicere licet, doctrinam in illis  
contentam, antequam publici juris fierent, in aliquibus saltem  
Capitibus immutaturus erat. Nec enim illi ipsi sunt, quos  
promiserat; vel saltem non omnia continent, de quibus se  
acturum sponderat.

3. In libro primo summi Pontificis Dignitatem, & auto-  
ritatem plurimum commendat, & confirmat; ut statim Lector  
arbitretur, cum non minus pro tuendis Sanctæ Sedis juribus,  
quàm pro vindicandis Libertatibus Gallicanis certare. Sed  
lectis

lectis libris sequentibus oritur suspicio, in primo ipsum benevolentiam captare voluisse, ut in aliis lædens minus offenderet; nam in eo etiam verba quædam Ecclesiæ minus æqua ab Autore de industria videntur interjecta, ut iis se tueri posset, si quando sibi posteriora prioribus contradicere objiceretur. In secundo libro Regiam Majestatem, & jurisdictionem, quantum Pontificiam in primo, & amplius extollit. Potest certe utraque potestas seorsim, cum utraque suprema sit, altera in spiritualibus; in temporalibus altera, usque ad Cælum evehi. Sed cum inter se comparantur, si aliò, quam ad veritatem, & justitiam respiciatur, difficillimum, imò impossibile est, quæcumque ars adhibeatur, injustitiæ notam, & alterutrius potestatis, ac forsan utriusque querelas effugere.

4. Quid enim, ut hæc tantum exempla proponamus, juvat autoritatem Romani Pontificis in condendis Legibus Ecclesiasticis, aut proferendis judiciis cap. 8. 9. & 10. lib. 1. tam solidis argumentis constituisse, quandoquidem capp. 15. 16. & 17. lib. 2. Autor probare contendit, leges illas non obligare in Gallia, nisi acceptentur; & expressè affirmat dicto cap. 16. num. 6. *Nihil obtrudendum esse fidelibus, quod eos offendere aliquo pacto possit; atque ad eò legem Ecclesiasticam minus commodam pro non scripta esse habendam?* In quo versabitur eximia illa summi Pontificis autoritas, si nullam habeant vim leges ejus, nisi acceptatæ fuerint, & si quæcumque minus commodæ sint, pro non scriptis habeantur? Certè quæ commodæ sunt, sine Papæ mandato, imò sæpè contra ipsius mandatum, aut prohibitionem usurpantur.

5. Caput 10. & 11. ejusdem libri 2. Ecclesiæ suam jurisdictionem asserere videtur, licet revera Regiam ultra debitos terminos proferat. Nam cap. 10. num. 8. insinuat confirmationem Principum vim obligandi Canonibus circa disciplinam editis conferre, licet num. 13. laudato Facundi Herimianensis loco, ubi de Marciano Imperatore dicitur; *Ob hoc itaque vir temperans, & suo contentus officio Ecclesiasticorum Canonum executor esse voluit, non conditor, non exactor: addat Marca; Hic est certus limes, quem Regiæ autoritati in his negotiis præfigere oportet, ne inconsultò trahamur ad eam adulationem, qua Principibus suis totius disciplina Ecclesiastica summam*

686 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
*nam Græci deferebant.* Verùm tamen quod generatim Ecclesiæ  
concessisse videbatur, retractat cap. 11. num. 4. autoritate  
Joannis Scholastici Patriarchæ Constantinopolitani. Et ejus-  
dem cap. 11. num. 3. Constitutiones omnes Justiniani circa  
res Ecclesiasticas defendit; quarum tamen multæ jurisdic-  
tionem Ecclesiasticam imminuunt, & unam, scilicet *de prola-  
tione verborum Consecrationis*, ipsemet Marca damnare coactus fue-  
rat cap. 6. num. 6.

6. Cæterùm in prædicto cap. 11. num. 3. Bellarmini,  
quem citat, circa impedimenta Matrimonii totam mentem  
non exprimit. Silet enim Illustrissimum illum Cardinalem  
docuisse, ut impedimenta à Constitutionibus Imperialibus  
inducta Matrimonium dirimerent, necessarium fuisse Eccle-  
siæ assensum, ab eo tempore, quo contractus ad Sacramenti  
dignitatem effectus est.

7. Ibidem num. 6. cùm dixisset, *Principum eam fuisse mentem,*  
*ut nihil sibi licere putarent in eos Canones, qui editi fuissent à Conciliis Oecu-  
menicis;* quia Oecumenicorum Conciliorum Canonibus ni-  
mium tribuisse sibi videbatur, conditionem statim adjecit,  
nempe si Canones fuissent *Edicto publicè recepti.* Sed quid si Edictum  
receptionis Edicto contrario revocetur. An Canones Edicto  
recepti, an Edictum receptionem revocans, prævalebit?

8. Tertius Marcæ liber ad Libertates Ecclesiæ Gallicanæ  
descendit, in quo, sicut & in secundo, licet modò in unam,  
modò in alteram partem declinet, ut neutram offendere vi-  
deatur; eò tamen tanquam ad ultimum scopum pervenit,  
ut persuadere conetur nullam esse summi Pontificis autori-  
tatem in Ecclesiam Gallicanam, nisi Gallia, & præcipuè  
Rex consentiat. Nam postquam in tribus ultimis capitibus li-  
bri 2. acceptationem omninò necessariam esse, ut lex obli-  
get, probare enixus est in 3. libro capite 15. num. 4. ac-  
ceptationem illam docet etiam esse necessariam, ut à Canoni-  
bus recedatur, & summi Pontificis dispensationes valeant.  
*At verò, inquit, si status publicus, aut recepta in Regno jura laedantur,*  
*amplectenda est sententia eorum, qui in universum dispensationes sine justa cau-  
sa indultas, invalidas esse censent. Quod verum esse in speciem, quam tracta  
hac collectione demonstratur. Vel dispensationes illa sine legitima, & justa cau-  
sa concedantur, & hoc casu nulla dicenda sunt, propter ea, quæ superius al-  
lata*

lata sunt argumenta. Sed quid si dispensatio in se iusta fit, Ecclesiae tamen Gallicanae usui non conveniat? Tunc non solum iniusta, sed & invalida erit, eam ipsam ratione ex eius Autoris mente. Prosequitur enim, *Vel probabili quadam ratione nituntur, respectu eius habito, cui conceduntur; sed usui recepto in Ecclesia Gallicana repugnant, quo certa quadam regula e Canonibus & Decretis Pontificum petita, ita firmata sunt, ut iuxta legum illarum naturalem conditionem perpetua apud nos esse debeant: hoc casu dispensatio carebit iusta causa, quod attinet ad statum publicum Ecclesiae Gallicanae, atque ideo nulla erit. Ne quis autem arbitretur, hoc provenire ex sola rerum utilitate, non autem ex voluntate pendere, adjungit; Praecipue cum dispensandi ratio in his negotiorum articulis, recepta non fuerit consuetudine aliqua. Ut enim lex Ecclesiastica debet usu recipi; ita & dispensatio illius legis debet usu probari. At, inquit, ratio & iustitia regula erunt ejus, vel legum, vel dispensationum acceptationis. Commoditate metiendam esse pluribus in locis tradit in hoc libro 3. Nam capite 6. num. 5. Enim vero, inquit, in Gallia quod ad disciplinam attinet, Decretalium Constitutis locum datus, cum bona Romanorum Pontificum venia, quae nostris rebus, & utilitati publica accomodata sunt. Quatenus Ecclesia Gallicana commodis expedit. Et lib. 4. cap. 1. num. 1. quatenus Ecclesiae Gallicanae commodis expedit ut pro rerum ac temporum conditionibus, summi Pontificis Rescriptis juris rigor aliquando temperetur. Et lib. 2. cap. 16. num. 6. jam relato; Legem Ecclesiasticam minus commodam pro non scripta esse habendam.*

9. Nec in hoc dissimilis est apud Gallos Conciliorum Oecumenicorum, ac summorum Pontificum conditio, ut testatur Autor lib. 3. cap. 7. num. 1. his verbis; *Libertates perinde tuemur, si de Concilio generalis novis Decretis, ac si de Romani Pontificis constitutionibus agatur. Nec ad firmitatem illarum libertatum requiritur (si Marcae credimus) ut Concilii generalis Decreto nitantur. Quin etiam subjungit; Receptos mores & consuetudines Ecclesiae Gallicanae nostro usui commodis adeo retinemus, ut etsi Canone Concilii generalis destituamur, quo illa firmata sint, tamen ab iis nobis discedendum esse non censuamus. Omnia firmitas! quae, licet Canone Concilii generalis destituta, a nullo potest Concilio Oecumenico, a nullo Pontifice concuti!*

10. In quarto libro agit de legum executione, quae hodie per appellationes ab abusu procurari dicitur ex parte Principum,

688 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
pum, sed de his appellationibus dicemus libro sequenti. Por-  
rò Marca in hoc libro, sicut in aliis, quamvis exempla usur-  
patæ jurisdictionis Ecclesiasticæ non nihil temperare videatur,  
eò tamen semper redit, ut de consensu Principum omnia geri  
velit, ipsosque ita Canonum custodes constituat, ut ferè Do-  
minos esse infinuet.

11. Capite primo num. 1. monet, quæcumque apud veteres  
Principes in causis olim viguerunt, locum apud Gallos habe-  
re non posse, hinc tamen usum fori hodiernum confirmat;  
ut scilicet stent immota, quæ in usu sunt in Gallia, satisque  
sit, si in cæteris rebus, utpotè iniquioribus, antiquos non  
imitetur. Antiqui enim, v. g. Imperatores, ut refert ibidem  
num. 6. *Disturbationem, quæ vacantem Ecclesiam redderet, sui arbitrii esse  
putabant. At verò, ut subjungit pœnam illam expulsionis, cum vacatione  
Episcopatus hodie irrogare non possunt Principes.* Quidni etiam hodie,  
si olim? Citiùs enim provideretur à Rege Christianissimo Ec-  
clesiis vacantibus, nec tamdiu Archiepiscopo caruisset Pari-  
siensis, si expectandus non fuisset consensus Eminentissimi  
Cardinalis Retzii, ut illi præficeretur Illustrissimus Petrus de  
Marca. Nonnè vox illa, *hodie*, potestatem illam olim penes  
Principes fuisse indicat? si ad jus Regium pertinebat, desue-  
tudine sopiri, sed non extingui potuit. Vide quàm facile  
subverti possint, quæ Marca Ecclesiæ reservat, si stent aliæ  
illius sententiæ.

12. Prætermitto quamplurima, quæ in iisdem libris confu-  
tatione, vel saltem examine indigerent, quia licet ad argu-  
mentum nostrum pertinere videantur, minùs tamen afferunt  
detrimenti; e. g. 3. capp. 10. 11. & 12. immensa ferè beneficia  
Ecclesiæ Romanæ à Regibus Francorum collata fuisse con-  
tendit Marca, quorum tamen pars magna multis dubia est,  
ab aliis falsa omninò judicatur, licet Reges Christianissimos  
olim de Ecclesia Romana, & de summis Pontificibus optimè  
meritos fuisse nemo possit negare. Verùm quoniam eò tendit  
hæc beneficiorum commemoratio, ut quæ in Gallia contra jus  
commune aguntur, privilegio Ecclesiastico fulciantur: ego  
Ecclesiæ Gallicanæ nec debitæ gloriæ, nec veris privilegiis  
invideo, dummodò, quod unum mihi cordi est, prætextu  
liberalitatis aut libertatis debita summo Pontifici obedientia  
non

non negetur, miserrima servitus non inducatur, neque potestas Ecclesiastica opprimatur à sæculari.

13. Dum placet Ecclesiæ suos Benefactores aliquo privilegio insignire, id ego servitutum, aut potestatis sæcularis abusum non ausim appellare, præsertim cùm hinc alii ad similia erga Christi sponsam officia incitentur. *Non est*, inquit Marca lib. 3. cap. 10. num. 8. jam suprà relato, *cur ceteri Principes nobis invident, benigniorem erga Reges nostros Romana Sedis remissionem. Certent nobiscum liberalitate, tunc integrum illis erit de privilegiis quoque nobiscum certare.* Sed viderint Galli ne gloriam à Majoribus ad se propagatam denigrent, si quæ illi generosè, ac sine ulla spe retributionis ab hominibus consequendæ, præstiterunt, ipsi hodie sibi persolvi velint; ne pro beneficiis temporalibus collatis, jura spiritualia longè pretiosiora postulent, aut per vim usurpent; neve privilegiis se tueantur, quæ nunquam extiterint. Sanè ex utriusque juris dispositione frustrà allegantur, quæ non exhibentur.

14. Circa secundum tomum non immoror: tum quia ex iis, quæ continet, plurima jam aliâ occasione discussa sunt; tum quia, ut suprà insinuavi, non dubito, quin si Autor diutiùs vixisset, multa fuisset immutaturus; tum denique quia summa quatuor illorum librorum argumenta egregiè sunt ab aliis v. g. Joanne David, Christiano Lupo, Emanuele Schelstrate tractata. Quæ in 5. de Legatis continentur, eò præsertim spectant, ut sine consensu Regio nihil in Gallia moliantur, de quo in capitulis præcedentibus dictum est occasione Petri Puteani. Circa librum 6. qui est de Conciliis pauca dicemus capite sequenti: nam pleraque ad praxim modernam non attinent. Quæ in 7. & etiam initio 4. de judiciis Ecclesiasticis, præcipuè de Episcoporum depositionibus perperam ab Autore scripta sunt, valde impugnavit prædictus Joannes David Doctor Parisiensis integro volumine. Quæ autem in 8. de Regalia disputata sunt, abundè illustrata fuerunt, editis tum Latinè, tum Italicè, tum Gallicè scriptis. Plura continet liber 4. Ecclesiasticæ jurisdictioni ac veræ illius libertati infesta, quæ nos aliquantò diutiùs distinebunt.



## C A P U T I I.

*De autoritate Principum circa Concilia, in particulari  
circa conuocationem illorum, ac praesentiam, &  
praesidentiam in illis.*

1. **M**ulta intercedunt discrimina, inter Synagogam & Ecclesiam: sed illud inprimis quod magis spiritualia sint hujus bona, magis spiritualis ejus jurisdictio, spiritualibus armis sese tueatur. *Non secundum carnem militamus, inquit S. Paulus 2. Corinth. 10. nam arma militiae nostrae non carnalia sunt.* Porro arma illa cum saepe parum à malis Christianis reformidentur, ab Infidelibus contemnantur, solà interdum patientià opus est. *Ecce, inquit Christus ad Apostolos, Ego mitto vos sicut agnos inter lupos Lucæ 10. 3.*

2. Sed licet Ecclesiam suam Christus ad patiendum, quàm ad resistendum persecutionibus, & ad injurias perferendas, quàm ad ulciscendas paratiorem velit; tamen praeter curam, quam ipsemet de illa gerit juxta promissionem suam; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Matt. ultimo;* Principes ideò ad fidem vocavit, aut fideles ad Principatum euexit, ut autoritate suà malos comprimerent, & Matrem suam ab hostibus, aut inobedientium filiorum infestationibus liberarent. *Intra Ecclesiam potestates necessariae non essent, inquit S. Isidorus Hispalensis de summo bono lib. 3. cap. 53. nisi, ut quod non praevalet sacerdos efficere per doctrinae sermonem, potestas hoc imperet per disciplinae terrorem.*

3. Verùm quod Christus tanquam officium, & debitum Principibus erga Ecclesiam imposuit, hoc politici tanquam jus, & autoritatem in ipsam interpretantur, & quos ille sponsae suae constituit custodes, protectores, & defensores; ipsi arbitros, duces, ac dominos efficiunt: quam ut matrem colere, audire, ac sequi Christiani omnes tenentur, ei ut ancillae praecipere, ac leges ponere suadent. Quid enim aliud est, Principibus tribuere facultatem non solum Ecclesiam ad Concilia conuocandi, sed etiam Conciliis tractanda pro-

ponendi, ita ut de aliis deliberare non liceat: Ordinem ac modum præscribendi, à quo si recedatur, inane sit quicquid fiat: Decreta Conciliorum confirmandi, sine qua confirmatione robore careant: Judicata suspendendi, donec novo iudicio, aut novo examine probata fuerint: Concilia, ex quibus liberit Episcopis, constandi: Jurisdictionem aliundè non habentibus conferendi: Causam unius Provinciæ, alterius Provinciæ Episcopis definiendam committendi: aliaque similia præstandi. Hæc sunt ex Petro de Marca Imperatorum Romanorum in Ecclesia jura. Præferat illa omnia, si crudè dicerentur, horrorem Christianis animis incussura. Quamobrem capite primo in fine num. 1. ei commotioni occurrere festinat his verbis, jam supra indicatis; *Quæcumque apud veteres Principes in causis olim vigerunt, locum apud nos habere non possunt. Quid ni etiam apud vos? An quia hæc olim à Principibus usurpata sunt, contra Ecclesiæ libertatem, & jura, per vim, ac sine legitima facultate? Nequaquam. Sed quia, inquit, immutata aliquantisper disciplina antiquam illum ordinem nullo pacto admittere potest. Itaque si rursus immutetur aliquantisper disciplina, quæcumque apud veteres Principes olim vigerunt, locum apud Gallos habere poterunt; quoniam, ut ait Marca cap. 5. initio; quemadmodum Imperii Romani mole in varias partes dissecta, Galliarum Provincia in victoria præmium Francorum Regibus, Divini numinis auspiciis, cesserunt, ita etiam Imperii jura plene, & integrè cum illis communicata sunt.*

4. Ex iis pleraque adeo manifestè cum rationis, ac fidei regulis pugnant, ut proposuisse, confutasse sit. Et sanè ipsum etiam Autorem illorum pudisset, nisi pro suo more interjectis aliquibus verbis emollisset. Ne quis autem arbitretur ea in usum evocari posse, expendenda sunt exempla, quæ profert; raro enim aliud genus probationum adducit, aut adducere potest; pro causis tam malis militare nequeunt rationes, quarum falsitatem, aut debilitatem detegere in promptu non sit; sed prius quæ alibi de Conciliis diximus, pauca quædam adjiciemus. Nec enim necesse est quæcumque de illis scripsit D. de Marca minutim expendere.

5. Licet consensus Principum ad congreganda Concilia de facto necessarius sit, ac possint ipsi etiam de jure, illorum

692 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
congregationem impedire, cum iustis de causis metuunt aliquid contra sua, vel Regni jura molendum; ut tempore Ludovici Pii, & alijs, quamvis rarissime, contigit: tamen convocandi Concilii jus omne penes Principes reponere, injustum, & Ecclesie perniciosissimum est. Hinc enim Principes colligerent, licere sibi pro libitu ea vel permittere, vel vetare, ex quo maxima damna pateretur Ecclesia, quippe quorum remedia vix nisi à Conciliis sperari possint. Hoc demonstrat ipsiusmet Gallie exemplum, in qua jam dudum nulla habita sunt Concilia Ecclesiastica, etiamsi deserint cause suspensioni, quæ Reges à permittenda Synodorum congregatione deterrebant: undè fit ut quæ in Conciliis Provincialibus determinari solebant, ad Tribunalia secularia referantur, in detrimentum jurisdictionis, & libertatis Ecclesie.

6. Habita sunt in Imperatorum, & Regum Palatijs nonnulla Concilia, ut Nicænum primum in aula Palatii Constantini; quemadmodum tradit Eusebius lib. 3. vitæ Constantini cap. 12. Sextum pariter sub Constantini Pogonati Imperio in ea Regiæ parte, quæ Trullus dicebatur. In Gallia non solum Reges voluerunt; sed & Præsules aliquando postularunt congregari in Palatio Concilia; aded certi erant integram sibi, plenamque fore suffragiorum libertatem. Sed absurdum esset inde concludere omnia in Palatijs congreganda esse, quasi aptior esset tractandis rebus Divinis locus, Principis, quam ipsius Dei Basilica. Concilium Constantinopolitanum Primum celebratum est in sacra Æde Sanctorum Martyrum Pantaleonis & Marini, Ephesinum in Æde B. Mariæ, Chalcedonense in templo S. Euphemie, Nicænum secundum in Basilica Metropolitana illius urbis, Constantinopolitanum quartum in Ecclesia S. Sophiæ, & alia fere omnia, præsertim generalia, in alijs Ecclesijs. Certè quæ ratio Aulicis hominibus suavit penes Principem esse, si libuerit, locum Concilijs assignare Palatium (puta ut Principes commodius interessent, ac suâ præsentia Episcopos continerent, moverent, & inflecterent) eadem suadet non esse jus illud tribuendum Regibus. Nihil enim est tam necessarium cuilibet Congregationi, maximè verò Ecclesiasticæ, quam libertas, quæ

quæ plurimum auctoritate sæculari debilitatur; imò etiam Aulicorum propriis cupiditatibus impulsorum, artibus, ac potentia sæpè omninò tollitur.

7. Prodest quidem præsentia Principis optimè rerum Ecclesiasticarum notitiâ instructi, & erga Religionem affecti. Verùm cum experientia docuerit, optimorum etiam Principum Religionem à Ministris, vel etiam à perversis Episcopis seduci non rarò posse, præstat integram hujusmodi cœtibus libertatem relinquere, ac Ecclesiasticis viris Divina & Ecclesiastica negotia tractanda dimittere; expeditque, ut Principes Conciliis Provincialibus, & Nationalibus, in quibus maximè reformidaretur illorum potentia, non intersint. Factum id quidem aliquoties, ut diximus, præsertim sub secundæ Dynastiæ Regibus, quorum erat auctoritas necessaria ob collapsam & ferè extinctam in Gallia disciplinam Ecclesiasticam, ac innumeras penè difficultates, quas vix superasset Ordo Ecclesiasticus sine auxilio Principum, qui se ad id præstandum promptos, ac devotissimos exhibebant. At verò cum hodiè Regii Officiales in id conspirasse videantur, ut Ecclesiasticam auctoritatem deprimant, vel potiùs in Regem, ac in se transferant, verendum esset, ne Rex Christianissimus illorum, qui, dum propriis utilitatibus laborant, jura Regia videntur curare, consiliis inductus, etiam præter suam intentionem Ecclesiastica jura læderet, Episcopis plerisque dissentire non audentibus. Justum esse hunc timorem multorum Episcoporum Aulicis artibus injustè ac per vim depositorum exempla, quæ alibi recensuimus, fidem faciunt. Quamobrem octava Synodus Oecumenica Principum in Conciliis præsentiam necessariam non esse declaravit, imò & absentiam optavit, à Conciliis præsertim non Oecumenicis.

8. Ea est hodiè Principum sæcularium potentia, ut metuendum eis omninò non sit, ne quid in hujusmodi cœtibus adversus eorum jura statuatur; ac, si quid fortè incautè decretum fuerit, quod displiceat, facilè illius executionem impediunt. Itaque minimè dubium est, quin illorum præsentia minùs sit ad Regias rationes tuendas necessaria, quàm suffragiorum libertati contraria.

9. Certè si in Conciliis Principes adesse non debent, multò minùs præesse, si præsentia auctoritatem significet. Hæc enim ad Ecclesiam pertinet, id est ad eum Episcopum, qui cæteris, vel jure suo, vel ex delegatione superior sit. Ejus est primum locum occupare, determinanda proponere, suffragia rogare, ac juxta illorum pluralitatem concludere. Olim quidem aliquando Principibus in Gallia, dum Conventibus intererant, primus locus concedebatur; ipsi sententiam Episcoporum postulabant, aliquando etiam proprio nomine Decreta edebant. At illa propriè Concilia Ecclesiastica non erant, sed Regni Comitia, in quibus sæcularia etiam tractabantur negotia, & Laici jus habebant suffragii. Nam causæ spirituales ab Episcopis seorsim definebantur; dum autem aliæ causæ Ecclesiasticæ discutiebantur, Principes quasi Ecclesiasticæ disciplinæ promotores à Summo Pontifice rogati, & ab Episcopis acceptati, non autem quasi Judices, multò minùs tanquam Præsides Ecclesiastici, aderant, nec suo nomine Canones quasi Conditores, sed quasi Protectores promulgabant.

20. Antiquum Comitiorum Gallicanorum ordinem describit Hincmarus in Epistola ad Episcopos quosdam Galliæ ex Adelardo; *Que utraque tamen, inquit cap. 35. seniorum susceptracula sic in duobus divisa erant, ut primò omnes Episcopi, Abbates, vel hujusmodi honorificentiores Clerici absque ulla Laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel hujusmodi Principes sibi met honorificabiliter à cætera multitudine primo mano segregarentur, quousque tempus sive præsentis sive absente Rege occurrerent: & tunc prædicti seniores more solito, Clerici ad suam, Laici verò ad suam constitutam Curiam, subselliis similiter honorificabiliter preparatis, convocarentur. Qui cum separati à cæteris essent, in eorum manebat potestate, quando simul, vel quando separati residerent, prout eos tractanda causa qualitas docebat, sive de spiritualibus, sive de secularibus, seu etiam commixtis. Similiter si propter quamlibet discendi, vel investigandi causam quemlibet convocare voluissent & re compertà discedere, in eorum voluntate manebat.*

11. Quamquam, ut verum fatear, tantus erat olim Principum cum Ecclesia consensus, ut mutuis potiùs officiis inter se decertarent, quàm potestatis limites scrupulosè observa-

rent.

rent. Dummodò libera essent Episcoporum suffragia, cætera olim non tanti esse momenti judicabantur, ut concordia ac commodis, quæ ex concordia inter utramque potestatem ad bonum commune unanimiter tendentem consequuntur, anteponenda viderentur. Quamobrem ea exempla, in quibus Principes, quæ ad Prælatos Ecclesiasticos pertinent, exercere videbantur, in legem vertenda non sunt, cum dispar sit rerum status, ac diversæ circumstantiæ. Sed de his satis. Parùm enim hodiè Principes de præsentia illa in Conciliis solliciti sunt, quippe qui vel absentes id quod optant, nullo negotio consequuntur.

C A P U T III.

*De materia in Conciliis tractanda; de jure suffragii, ac de confirmatione, & executione Canonum.*

1. Quomodùm Episcoporum cura ad cuncta se extendit, quæ ad animarum suæ Diocesis salutem pertinent, scilicet fidem, mores, ac disciplinam; ita Episcoporum in Concilio Provinciali congregatorum cætus iis omnibus providet pro tota Provincia, & insuper causas ipsorummet singularium Episcoporum definit: quibus cum in propriis Diocæsis nullus sit superior, æquum est, ut præmineat Concilium Provinciale, reservatis tamen summo Pontifici causis majoribus, ac semper excepta ejus, & Concilii Oecumenici autoritate, quæ sine dubio Provincialis Concilii potestate major, ac superior est.

2. Equidem si res ipsa sine circumstantiis spectetur, is quasi naturalis ordo est, ut Episcopus primum suæ Diocesi prospiciat. Si quæ gravis difficultas occurrat, ad Metropolitanum & Concilium Provinciale illam perferat. Si nec illic definiri queat, ad summum Pontificem recurratur. At verò incidunt aliquando tempora, cum prætermisso illo ordine necesse statim sit ad supremum tribunal accedere: ac tunc iniquum esset, ut cum evidenti justitiæ detrimento, obtinerentur omnes illi gradus, qui, ne justitia violaretur, instituti, ac distincti sunt.

696 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
sunt. Imò tam frequens possèt esse vel fidei, vel morum, vel  
disciplinæ, vel justitiæ periculum, ut universim certi cu-  
jusdam causarum gravissimarum generis cognitionem trahere  
ad se, ac Episcopis interdicere, summus Pontifex deberet.

3. Miror qui potuerit ea cogitatio in mentem venire Do-  
mino Petro de Marca, ut scriberet pluribus in locis non licere  
Conciliis alia tractare, quàm quæ à Principe propofita fuis-  
sent. *Inter jura Regia, inquit lib. 6. cap. 22. num. 3. & hæc  
etiam eximium est, ut Conciliorum cognitionem Principes inter certos limites  
coerceant, servato quoque ordine præscripto.* Nunquamne igitur Ec-  
clesiæ licebit disciplinam collabentem firmare; collapsam resti-  
tuere; abusus corrigere; crimina plectere, nisi id à Rege  
præscriptum sit? Quid si (quod avertat Deus) Rex here-  
ticus, aut etiam Ecclesiæ hostis evaderet? Quæcumque fra-  
turerent Episcopi, si fortè coire possent, nullius roboris fo-  
rent, defectu propositionis Regiæ?

4. Certè in iis, quæ ad fidem, & bonos mores, ad quæ  
omnis refertur Ecclesiastica disciplina, spectant, soli Episco-  
pi Judices à Christo constituti sunt. Principi quidem justa  
præcipienti parendum est; justum autem est ejus præceptum,  
cùm Ecclesiæ Decretum custodiri jubet; justitia tamen illa  
Decretorum, atque adeò robur ad obligandum coram Deo  
Canonibus inest, antequàm Principis autoritate confirmen-  
tur.

5. Superest unicum dubium, sed maximi momenti, utrum  
scilicet Principes sint Ecclesiæ Decretorum meri executo-  
res, an cum cognitione causæ, ita ut, si quid obscuritatis,  
aut difficultatis emergat, possint Canones interpretari. Id  
quidem juris videntur velle sibi vindicare Reges Christianis-  
simi, eorumque Senatus, cùm de causis Ecclesiasticis per ap-  
pellationem ab abusu ad se delatis, eo serè ordine, iisdem-  
que formulis judicant, quibus utuntur in judiciis sæculari-  
bus, in quibus ex legibus civilibus jus dicendum est. Verùm  
licet possint potestates sæculares executionem Canonum non  
urgere, dum in particularibus casibus dubitant, an locum  
habere debeant hujusmodi Canones, propter circumstantias,  
quæ repugnare videntur: tamen si ex verbis ipsis Canonis  
oriatur difficultas, quo scilicet in sensu accipienda sint, quæ-  
ve

M. C.  
de  
Libertatibus  
Ecclesiæ  
CIII  
231

ve fuerit conditorum mens, standum est trito illi Juris utriusque axiomati; Unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat. Cap. Intra alia de sent. excom. cum suis concord. & ll. 9. 10. 11. Cod. de legibus.

6. Sanè cùm interpretatio illa, de qua loquimur, vim quodammodò legis obtineat, si liceret Principibus Canones interpretari, penes illos esset omnis legum Ecclesiasticarum potestas, ipsique, non Episcopi, quos ad hoc Spiritus Sanctus posuit, regerent Ecclesiam Dei. Non solùm enim executio, sed & iudicium in illorum esset potestate. Alia fuit Ecclesiæ, sed & Principum ipsorum mens, quorum exempla variis in locis, prout sese obtulit occasio, adduximus.

7. Adèd lucent Ecclesiastici juris regulæ, ut eorum etiam visum feriant, qui oculos claudere videntur, ne videant, quæ sibi non arident. Quis non laudet æquitatem Petri de Marca, & eum, ad desigendos Ecclesiasticæ ac sæcularis jurisdictionis terminos, arbitrum lubens non constituat, audiens quomodò circa Canonum executionem suas Ecclesiæ partes, Principibus suas, servet lib. 4. cap. 1. n. 2. si propriè loqui velimus, inquit, executio Canonum jurisdictionem Ecclesiasticam respicit: cujus partes sunt, ut iudicia Canonica reddat; poenis canonicis, idest excommunicatione, degradatione, & suspensione, & ceteros ejusmodi reos plectat, & ut omnia uno verbo complectar, ligandi & solvendi Pontificium exerceat. Tutio verò Canonum à Principibus pendet, qua Canonum custodia prospicit, & nullitatem rerum adversus Canones gestarum aliquando declarat, atque omnia in integrum restituit, sed ultra non progreditur, scilicet ad executionem Canonum, quam ab Episcopis implendam indicit. Non ergo eadem autoritate in rebus Ecclesiasticis, ac in rebus sæcularibus Principes utuntur. Æqua videtur sententia; si quis tamen verba attentè consideret, in eis Autoris ingenium deprehendet. Nam Principibus executionem Canonum, quæ sine causæ cognitione fieri posset, negat, declarationem nullitatis gestorum adversus Canones concedit: quo pretextu negotiorum omnium iudicium ad se trahere poterunt. Ecclesiæ est illam nullitatem declarare, Principum autem, post hujusmodi declarationem, Ecclesiam juvare ad omnia in integrum restituenda. Sed quid largitur Ecclesiæ Marca? Non vult ut Princeps Canones exequetur, sed ei tribuit ut eorum executionem



698 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
Patriarchis & cæteris Episcopis præcipiat, & malè gesta cor-  
rigat. Non enim vult observari gradus ad custodiam Cano-  
num, quam Principibus tribuit. Lex decernitur à Principe post  
constitutos Canones, quæ eorum executionem Patriarchis & cæteris Episcopis præ-  
cipit. Eadem lex in acta Præfectorum Prætorio refertur; qui una cum Præsu-  
libus Provinciarum violari Canones prohibent. Et, si infracti fuerint, eà de re  
ad Principem referant, qui malè gesta corrigit. Præpotterus est ordo;  
nisi in executione, sicut in conditione Canonum, Ecclesia  
præcedat. Non enim debent Principes illorum executionem  
pœnis à se constitutis urgere, quamdiu pœnis spiritualibus  
Ecclesia illam executionem obtinet: ut quod non pravalet sacri-  
dos efficere per doctrinam sermonem, potestas hoc imperet per disciplina terrorem,  
quemadmodum loquitur S. Isidorus Hispalensis de summo  
bono lib. 3. cap. 53.

8. Sed quod addit ibidem prædictus Marca, Ecclesiasticam  
jurisdictionem manifestè lædit; Inter cæteras autem pœnas, quas in  
Episcopos, & Clericos eà lege constituit (Justinianus scilicet Novell.  
Const. 123. Frequens est expulsio à Sacerdotio; quam vi constitutionis sua  
ferri diserte præcipit, aliisq; in depulsum locum subrogari. Depositio-  
nem Episcoporum, & aliorum institutionem vi Canonis, aut  
sententiæ Ecclesiasticæ, non autem constitutionis Principis  
fieri debere indubitatum est. Nec juvat, quod affert Mar-  
ca numero sequenti, Justinianum in Musæo suo cum peritio-  
ribus Episcopis de rebus Ecclesiasticis tractare solitum. Quis  
enim nesciat nullo unquam tempore defuisse Præsules, etiam  
doctrinâ conspicuos, qui Principibus Ecclesiæ jurisdic-  
tionem usurpantibus ablandirentur.

9. Nisi Autor desiderio protendendæ Principum juris-  
dictionis excecatus fuisset, quomodo potuisset non adver-  
tere primum exemplum, scilicet Anthimi à Sede Constanti-  
nopolitana remoti, id, quod probare intendit, validissimè  
confutare. Etenim quamvis Anthimus ab Ecclesia Trapezun-  
tina in Diocesi Pontica, ad Sedem Constantinopolitanam so-  
la Theodoræ Augustæ autoritate, absq; Synodi judicio  
translatus fuisset, atque ad eò Canones apertè violasset, nec  
ulla videretur requiri causæ cognitio; tamen Justinianus  
S. Agapeti Romani Pontificis sententiam expectavit, eam-  
que deinde executus est, Invasorem illum expellens. Hoc  
ni-

nihilominus exemplo utendum sibi putavit Marca (ita scilicet efficacia sunt ejus argumenta) quia Marianus libellum in actis Synodi Constantinopolitanæ sub Menna actione prima insertum, & ab omnibus Provinciæ Hierosolymitanæ & secundæ Syriæ Abbatibus subscriptum, Justiniano adversus Anthimum obtulit, in quo leguntur hæc verba; *Vos piissimi, valentes ipsos extrahere, tamen Canonicum judicium à Romano Pontifice in ipsum Anthimum, & in prædictos Hæreticos benefaciendo audire voluistis, & cætera, quæ Marca non est ausus referre, quia manifestè contraria sunt ei, quod hinc concludit; liberum scilicet fuisse Justiniano Anthimum removere, quamvis id à Pontifice Romano fieri maluerit. Vox illa, valentes potentiam Imperatoris innuit, non autem jus, ut manifestè patet ex sequentibus, quæ apertissimè declarant, necessarium omninò fuisse Romani Pontificis judicium, ut res legitimè gererentur, & ejus executores tantum fuisse Justinianum. Eam habent sententiam illa verba; *Canonicum judicium à Romano Pontifice in ipsum Anthimum, & in prædictos hæreticos benefaciendo audire voluistis.* Maximè cum ageretur de causa fidei.*

10. Sed ne conjecturis locus daretur, aut interpretationibus, ipsimet libelli autores protinùs probant, debuisse Justinianum Romani Pontificis audire sententiam, ei que exequenda suam operam præstare. Subjungunt enim; *Illo persuasi, qui dicit: interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, seniores tuos & dicent tibi.* Ne quis autem illa de consilio interpretaretur, non de præcepto, prosequuntur in hunc modum: *& Apostolo dicente. Obedite Ducibus vestris, & subditi estote; ipsi enim vigilat pro animabus vestris tanquam rationem reddituri, &c.* Postea Imperatorem obsecrant, ut Agapeti judicium exequatur; *Obtestamur itaque vestrum Imperium (licet temerarium quid faciamus) per magnum Deum Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui protegat honorabile Imperium vestrum, & omnem inimicum, & hostem propter vestram rectam fidem vobis subjiciat, non contemnere justum judicium prædicti S. Viri, sed ipsum exequi, & Ecclesiam Dei, ac totum mundum liberare à peste Anthimi, & prædictorum Hæreticorum.*

11. Secundum exemplum est Irenæi post binas nuptias, contra Canones Apostolicos, Tyrriorum Episcopi facti, & ab illa Ecclesia nullâ præviâ damnatione canonicâ, solo Principis Imperio dejecti. Sed primo tenuis autoritatis est in hac

700 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
materia exemplum Theodosii Junioris, quem in aliis multis  
ultra suæ potestatis limites constat excurrisse per id maximè  
tempus, cum abfuit à Curia sancta Pulcheria. Secundò ex eo  
quod Imperatoris Edictum sententiæ Synodicæ meminerit,  
non sequitur nullam præcessisse. Cum enim & antea, & post  
Episcoporum destitutio sub Imperatoribus etiam hæreticis,  
ut Constantio, fieri non consueverit, nisi post alicujus,  
vel legitimi, vel illegitimi Concilii judicium, cur in isto tan-  
tùm casu, ac paucissimis aliis, prætermissum hunc ordinem  
putabimus? Tertid, etsi revera prætermisus est, cur ex isto  
exemplo potiùs quàm ex innumeris aliis contrariis, juris con-  
troversia dirimenda esset; præsertim cum illud juri com-  
muni repugnet? Quartò, sed colligitur ex epistola 110. Theo-  
doreti, quæ est ad Domnum Episcopum Antiochenum, postu-  
latum ea de causâ fuisse Concilium. In ea enim epistola Theo-  
doretus postquam probavit, ritè ordinatum fuisse à se Ire-  
næum, quem multifariam commendat, addit; *Et impium du-  
cimus hominem condemnare, qui multis & variis rebus optime gestis est exor-  
natus.* Petebatur igitur ab Episcopis condemnatio Irenæi.

12. Minus valet tertium exemplum, scilicet Petri Mog-  
gi à Sede Alexandrina Zenonis Imperatoris jussu expulsi.  
Destituebat enim, & restituebat impius Zeno Episcopos,  
tanta cum temeritate, sæpe tanta cum injustitia, ut mirum  
sit non puduisse Petrum de Marca in ejus exemplis Princi-  
pum jura fundare. Eundem Petrum Moggum, quem anno  
477. à Sede Alexandrina Zeno dejecit, anno 482. in eandem  
Sedem hæreticus hæreticum revocavit. Petrum Fullonem  
hæreticum Apollinariistam, & Eutichianum Antiochenæ Ec-  
clesiæ amoto Martyrio, præfecit. Timotheum Ælurum sa-  
cilegum ab Ecclesia Alexandrina destituit, & restituit; &  
alia patravit his similia.

13. Potest in hac etiam parte versatile Autoris ingenium  
observari. Num. 1. distinguens tuitionem Canonum ab exe-  
cutione, istam Ecclesiæ, illam Principibus tribuit: Num. 4.  
Principibus in executionem Legum ad Canonum tuitionem  
editarum, facultatem concessit, Episcopos à suis Sedibus ex-  
pellendi, & alios subrogandi, quod tribus exemplis supra-  
dictis probare conatus est num. 5. & 6. In hoc ultimo nu-  
me-

mero vulnus Ecclesiæ illatum linit declarans, *hæc omnia à Principibus acta jure quodam extraordinario; idq; in apertissima Canonum violatione, quæ nullâ causâ cognitione, nec Judiciorum solemnibus indigebat; sed in mera facti executione versabatur.* Quibus verbis nonnihil restricta videtur Principum in Episcopos licentia. Sed ne Principes de illa restrictione quærantur, rursus asseritur illis Episcoporum expulsio à Sede. *Deturbationem enim illam, inquit, quæ vacantem Ecclesiam redderet, sui arbitrii esse putabant.* Sufficiet sanè Principibus hoc arbitrium; cognitionem enim causæ necessariam non fuisse dicentibus quis contradicet? Num fiunt inquisitiones à Ministris Regiis, antequam in exilium mittantur per litteras, parvi sigilli, quæ in Gallia, *de Cachet*, dicuntur, qui ad Aulæ voluntates ægrè se accommodant? Iterum illa in Episcoporum Sedes aliorum subrogatio, sine sententia canonica, ita injusta unicuique apparet, ut ab ea Christianissimi Reges, qui aliquam Religionis, ac justitiæ laudem consecuti sunt, semper abstinuerint. Fatetur ergo Autor, quod *pœnam illam expulsionis, cum vacatione Episcopatus hodie irrogare non possunt Principes, ob eas causas, inquit, quas tom. 2. exponam.* Tomum secundum etiamsi plus 20. annis supervixerit, ipse publici juris non fecit, ut certò scire possimus, quæ sint illæ causæ. Sed vox hodiè justum creat timorem, fore ut causæ illæ, Principum intentioni, si pœnam expulsionis cum vacatione Episcopatus irrogare voluissent, nequaquam obstitissent.

C A P U T I V.

*De autoritate Imperatoribus à Domino de Marca tributa circa judicia Ecclesiastica.*

1. **O**bservat Marca lib. 4. cap. 2. duplici modo restitutos ab Imperatoribus violatos Canones, scilicet vel latis legibus, quibus innovationes ultra progredi vetarent, vel amotâ specialiter alicujus Canonis violatione, si quis ad eos querelam suam deferret. Hujus ultimi modi quatuor profert exempla. Primum Eusebii Dorylæi Episcopi, apud Impera-

702 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
torem Marcianum de injuriis sibi à Dioscuro illatis conque-  
rentis. Secundum Bassiani Ephesini quondam Episcopi, eidem  
Imperatori se injustè depositum exponentis. Tertium Euno-  
mii Nicomediæ in Bythinia Episcopi, auxilium ejusdem im-  
plorantis adversus Anastarii Nicæni, à quo usurpatam suæ  
jurisdictionis partem querebatur, invasionem. Quartum S Atha-  
nasia ad Constantinum confugientis adversus Arianos. Sed  
hæc exempla docent, quomodo se gerere debeant Principes,  
dum ab Episcopis, aut aliis, eorum invocatur autoritas; ut  
scilicet querelas hujusmodi ab Ecclesia examinari, & termi-  
nari procurent; quemadmodum Marcianus trium supradicto-  
rum Episcoporum Libellos ad Concilium Chalcedonense, cu-  
jus actis inserti sunt, remisit. Actione namque prima judica-  
ta est causa Eusebii, & Talionis pœna, idest depositio in-  
dicta Dioscuro, à quo depositus fuerat. Confirmata est actio-  
ne 11. & rursus 12. addito quodam temperamento, Bassia-  
ni depositio. Actione 13. dirempta est controversia de juri-  
bus Episcoporum Nicomediæ & Nicænz.

2. Sed quare ad Marcianum confugerant, si Concilii erat  
eas causas judicare? Primo quia tantus erat rerum in Con-  
cilio tractandarum numerus, ut aetuerent illi Episcopi, ne  
sine litteris Imperatoris non audirentur. Quoniam, inquit Eu-  
nomius in Libello, quem Valentiniano, & Marciano por-  
rexit, *audientia in dilationem cedit, & formidamus ne sorte dimisso Concilio  
jura nostra vacentur; supplicamus nutu Vestra Majestatis audientiam nostram  
sine dilatione fieri.* Deinde ut libentiùs exequendo judicio Impe-  
ratores operam præstarent, eo magis necessariam, quod vis  
illata plerumque dicebatur. Denique ut Concilium matu-  
riùs, ac benevolentius causas discuteret, ac terminaret.

3. Illustrius & attentione dignius est quartum exemplum,  
nimirum S. Athanasii, quem asserit Marca num. 4. à judicio  
Concilii Tyrii ad Constantinum Magnum appellasse, eo ap-  
pellationis genere, quod Galli, *tanquam ab abusu* nuncupant,  
Ecquis hujusmodi appellationes damnare auderet, si tanti  
viri autoritate, ac exemplo gloriari possent? At certè S. Atha-  
nasia ab inimicis suis opprimi, & crudelissimam mortem  
subire maluisset, quàm Ecclesiasticæ jurisdictioni tam lethala  
vulnus infligi, quale hodiè in Gallia patitur ab appellatio-  
nibus,

nibus, *tanquam ab abusu*. Expendamus exempli vim. Imperator Constantinus, qui jam pluries, scilicet Episcopis Concilii Nicæni, & Donatistis, ut tradunt Sozomenus lib. 1. cap. 17. Ruffinus lib. 1. cap. 2. Nicæphorus Callistus lib. 8. cap. 16. S. Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum, S. Augustinus epistola 166. declaraverat Episcoporum iudicium ad se non pertinere, victus tamen importunis Ariano-  
rum precibus tandem concessit, ut Synodus Tyri in Phœnicia haberetur sexaginta Episcoporum, quos, ut libuit, elegit, vel potius quos Ariani voluerunt, ad quos scripsit Imperator; *Scripsi ad quos volebatis Episcopos, ut vestras curas & sollicitudines presentia & laboribus suis adjuvarent* apud S. Athan. Apol. 2. Misit quoque illuc Dionysium Comitem virum Consularem, ut omnia ordinatè, ac pacificè geri curaret. Episcopi congregati omnem iudiciorum ordinem pervertentes, accusati inimicos, inter Iudices admiserunt: imò ipsi inimici suspectissimos homines, & apertissimos hostes delegarunt ad recipienda contra ipsum testimonia, quæ illo, & absente, nec vocato recepta sunt. Instat S. Athanasius cum Episcopis Ægyptiis, tum apud Episcopos, ne delegationem à paucis decretam communi calculo approbent, tum apud Comitem, ne causâ in tanta legum omnium violatione definiatur. Sanctus ille Patriarcha nullam justitiæ, nullam Religionis speciem in illo, non iudicio, sed latrocinio, servari animadvertens, ad Constantinum ipsum recurrit, impetravitque, ut Episcopis evocatis, ipso præsentè Imperatore, vim sibi posset illatam explicare. At Eusebiani, confictâ novâ calumniâ, eâque corruptis quibusdam testibus, qui olim à partibus Athanasii steterant, probatâ, Constantinum ementito illo crimine, ita commoverunt, ut S. Patriarcham in Galliam relegaret. Quia nimirum S. Præsul accusabatur, quasi minatus fuisset se impediturum, quò minus frumentum ab Ægypto Constantinopolim quotannis deferretur, quod huic urbi plurimum incommodi fuisset allaturum.

4. Quo circa primò notandum est Concilium illud Tyrium non solum non legitimum, sed ne quidem Ecclesiasticum habitum fuisse, ut demonstrat epistola Concilii Alexandrini an. 339. quæ directâ est ad omnes Ecclesiæ Catholicæ Episcopos;

*M. C.*  
*Libertatibus  
 Eccles. Concilii*  
*GM*  
*231*

copos; Quis fronte, inquit Patres hujus Concilii, talem conventum Synodum appellare audent, cui Comes praesedit? Et ubi spiculator apparebat & Commentariensis, sive Carcerarius pro Diaconis Ecclesia adventantes introducebat? Ubi Comes verba faciebat, ceteri praesentes in silentio erant, vel potius Comiti obsequium suum accommodabant. Ubi quod communiter Episcopis placuit, ab illo impediebatur. . . . . In summa dilectissimi, qua species ibi Synodi, ubi vel caedes vel exilium, si Casari placuisset, constitueretur. Et inferius, At praecleari Eusebiani quo veritatem scripta; sua oblitterent, nomen Synodi suis actis praeferunt, cum res ipsa negotium Imperatorium non Synodale haberi debeat, quippe ubi Comes praesideat, & Milites Episcopos sub satellitio cingant, & Imperatoria Edicta, quos ipsi volunt, coire compellant. . . . . Si veluti Episcopi sese Judices volebant esse, quid opus erat vel Comite, vel Militibus, aut Edictis, ad coeundum, Imperialibus? An ex hujusmodi coetu duci debuit argumentum, quo Principibus jus quaeratur delegandorum Judicum in causis Episcoporum? An hinc probari possent appellationes tanquam ab abusu, nisi forte ab abusu saecularis potestatis? Non enim appellavit Athanasius Constantinum tanquam Judicem criminum impositorum sibi, vel rei in legitimo Concilio gestae; sed vim sibi sub Comitis autoritate factam ab Imperatore, qui eum miserat, reparari postulavit.

5. Appellationis quidem mentionem faciunt Episcopi Orientales, qui se à Concilio legitimo Sardicensi segregaverant, & seorsim se congregarant, in epistola sua Synodica apud S. Hilarium in fragmentis. Sed ipse S. Athanasius Apologia secundâ non appellationem à sententia Ecclesiastica, sed querelam adversus hostes suos se detulisse profitetur his verbis. Nos autem adito Principe, qui Synodum indixerat, in qua igitur Comes praesiderat, Eusebianorum scelera patefecimus.

6. Notandum est secundò, S. Athanasium Concilii Tirii autoritatem non approbasse, licet ad illud accesserit: quia nimirum invitus. *Mibi*, inquit Apol. 2. scribitur ut adsum, atque adeò necessitas veniendi injungitur, ut nisi venirem, invitus adducerer.

7. Denique S. Athanasius ad Constantinum recurrit, non per appellationem à judicio legitimi judicis, sed per supplicationem adversus vim, Imperatoris ipsius autoritate sibi illatam in coetu inimicorum, praesidente Comite ac opitulantibus militibus, S. Patriarchae adversariorum furori obsequentibus.

tibus. Quocirca S. Athanasius, ut à Concilio legitimo sua causa discuteretur, à Constantino postulavit: vel, si petitio adeò justa repelleretur, saltem iniquis adversariis ad se opprimendum arma Imperator non ministraret: ideoque & suam innocentiam, & illorum iniquitatem sibi exponi pateretur. Constantinus autem intelligens, quò Athanasii preces tenderent, simul pollicitus est, & causam ad Concilium tanquam ad legitimum Tribunal deferendam, & se nihilominus partes auditurum, ne non Canonum executioni, sed eorum violationi patrocinaretur. *Imperator*, inquit *Episcopi Concilii Alexandrini apud S. Athanasium Apol. 2. Rei indignitate motus scriptis suis accusatores citat, suamq; ipsius audientiam promittens, simulq; synodum indici jubet.*

8. In hoc etiam capite curavit Autor verbis quibusdam lenioribus, Ecclesiæ de usurpata sua jurisdictione conceptum dolorem mitigare. Nam num. 4. cognitionem de judiciis Ecclesiasticis ab Imperatoribus susceptam dicit; *Eo tantum sine, ut illis de violentia constaret, quam deinde amoveri procurarent.* Sed num. 6. ait, *Dolum, calumniam, & hostium, qui in illo Concilio (Tyri) Judices sedebant, gratiam, Athanasio, & Aegyptiis occasionem dedisse, ut Judicis Ecclesiastici cognitionem ad Consistorium Principis transferrent.* Quando autem prætextus doli, calumnie, Judicum suspicionis deficiet volentem judicia Ecclesiastica trahere ad Principes?

9. Adde, quod num. 3. dixerat, non solum Canonum custodiam Principibus commissam esse, sed etiam Civium, & præcipuè Clericorum patrocinium, & tranquillitatis publicæ curam ad eos spectare. Quâ occasione nulla erunt judicia Ecclesiastica, quæ ad Principes non pertineant, cum nulla sint, in quibus Cives, vel etiam Clerici injuriam sibi per violatos Canones factam non obtendant, si causâ ceciderint.



## CAPUT V.

*De autoritate Principibus attributa circa alios  
jurisdictionis articulos.*

1. **G**Ravius & apertiùs jura Ecclesiæ violant, quæ Marca cap. 3. ejusdem libri 4. Principibus tribuit, quare invidiam, in quam se incursum agnovit, avertere his verbis num. 1. fatigit, *Quamvis pleraque à nostris moribus sint aliena, atque adeò in usum deduci non possint, quin aperte Sacerdotii, & Imperii concordia violetur. Quæ verba nos ab onere illa examinandi liberarent, nisi periculum esset, ne, mutatis Gallorum moribus, justè usurpari posse crederentur.*

2. Primò ergò Imperatores Romanos à Sacerdotibus interpellatos dicit, Judices dare potuisse, sed Clericos, qui de negotiis Ecclesiasticis sententiam ferrent. Id si ità intelligeret, ut licuerit Imperatoribus consensum, imò, & operam dare, ut congregaretur Concilium, cujus erat de illis judicare, non facile redarguendus esset, & menti ejus faverent testimonium Concilii Milevitani II. quod refert, & exemplum, quod hic repetit, Imperatoris Marciani, qui Bassiani à Sede Ephesina depulsi, & Eusebii Dorylæi Episcopi causas remisit ad Concilium Chalcedonense. Sed quod ait num. 3. *Non solum autem eis Episcopis judicium delegabant, qui ordinario jure intra Provinciam suam judicium ferre possent; sed etiam extra Territorium jurisdictionem aliquando prorogabant. Hoc, inquam, aliquando de facto, nunquam sine injuria contigit.*

3. In eo enim exemplo, quod attulerat num. 1. Cæciliani scilicet à Donatistis injustè damnati, Constantinus dum Donatistas graviter objurgavit, ut fatetur Autor, quod se criminis Ecclesiastici Judicem esse postulerent, satis testatus est se Judicibus extraordinariis causam delegare non potuisse, quamvis importunitati Donatistarum cesserit. Non enim jurisdictionem delegatam confert, nisi qui ordinariam formaliter aut eminenter possidet. Præterea, cum summus Pontifex causarum hujusmodi legitimus esset Judex, ordi-  
nem

nem Canonicum sequebatur Constantinus, partes ad eum mittens. Episcopos autem, quos Melchiadi adjunxit, cum ex ejus essent Patriarchatu, Judices esse cum illo nihil verabat. Nec tamen soli tres illi, quos miserat Constantinus, judicio interfuerunt cum Melchiade, ut patet ex illis S. Augustini verbis epist. 166. *Quod & factum est in urbe Roma Prasidente Melchiade Episcopo illius Ecclesie cum multis collegis suis.* Et clarius ex S. Optato Milevitano, qui lib. 1. contra Parmenianum quindecim Italos Episcopos, quorum nomina & Ecclesias recenset, cum supradictis convenisse testatur, ut ex novemdecim constat fuerit Concilium.

4. Cæterum S. Augustinus epistolâ 162. non adstruit jurisdictionem Melchiadis à delegatione Imperatoris, quasi Pontifex ab eo potestatem aliquam mutuatus fuerit (ea enim erat causæ conditio, ut absque Romano Pontifice ritè definiri non posset, quemadmodum constet ipse Marca) sed Donatistis os obstruit, ne Judicem incompetentem fuisse conquerantur; tum quia legitimus erat; tum quia fuerat à Constantino, à quo ipsi Judices postularunt, nominatus. *An forte, inquit S. Augustinus, non debuit Romana Ecclesia Melchiades Episcopus cum Collegis transmarinis Episcopis illud sibi usurpare judicium, quod ab Afris 70. ubi Primas Tingitanus presedit, fuerat tentatum. Quid quod nec ipse usurpavit: rogatus quippe Imperator Judices misit Episcopos, qui cum eo sederent, & de tota illa causa quod justum videretur, statuerent. Hoc probamus & Donatistarum precibus, & verbis ipsius Imperatoris.* Undè convincuntur Donatistæ Melchiadem recusari ab ipsis non posse, utpotè à Constantino, à quo ipsi Judices petierant, assignatum.

5. Sed quâ ratione probat Marca istam facultatem Imperatorum, Judices aliundè jurisdictionem non habentes, committendi? Autoritate S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini, & Memnonis Episcopi Ephesiorum, conquerentium in libello, quem Concilio Ephesino porrexerunt, in cujus actis habetur parte secundâ act. 4. se à Joanne Antiocheno depositos, licet ille *nec per leges Ecclesiasticas, nec per Imperiale Decretum potestatem haberet*; ex quibus ultimis verbis infert Marca per Imperiale Decretum posse constitui Episcoporum Judices, qui aliundè jurisdictione in illos careant, ut Patriarcha Antiochenus in Patriarcham Alexandrinum, & in Episcopum Ephesinum nul-

708 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
lam habet. Infirmum sanè argumentum. Nam eo tempore  
concurrerant Imperatores cum autoritate Ecclesiastica ad con-  
vocationem Conciliorum, in quibus tractabatur depositio  
Episcoporum. Ad illum igitur usum, qui tunc frequentissimus  
erat propter rationes alibi notatas, non ad jus quoddam ima-  
ginarium, aut certè sacrilegum, deponendorum autoritate  
sæculari Episcoporum, referenda sunt hæc verba Cyrilli, &  
Memnonis. Etenim libellus sic incipit; *Pium* (Imperatorum  
nostrorum) *Edictum, & nos & vestram Sanctitatem in hanc Ephesorum*  
*Metropolim, eâ de causa convenire iussit, ut & rectum Apostolica Fidei de-*  
*cretum communi sententiâ confirmetur, &c.* Huic Ephesini Concilii  
convocationi opponunt, quæ de conventiculo Joannis An-  
tiocheni dicunt; *Nec per leges Ecclesiasticas, nec per Imperiale Decre-*  
*tum potestatem habuit, quâ sultus, vel quempiam ex nobis iudicare, vel omnino*  
*simile quidpiam attentare posset.* Evidentiùs demonstraturi erant duo  
illi Episcopi depositi sententiæ adversus se latæ injustitiam,  
etiam Imperiale Decretum excludendo: non quod posset tale  
Decretum jurisdictionem non habenti conferre, sed quia co-  
lorem aliquem, aut excusationem apud homines prætexisset  
Antiochenus Patriarcha, si ad Episcopos sibi non subditos ju-  
dicandos Imperiali Decreto coactus fuisset: ut ergò & præ-  
textum necessitatis obediendi Principi, & legitimam excusa-  
tionem concurrentis Imperatoriæ autoritatis cum Ecclesiasti-  
câ ad convocandum Concilium, in quo depositi fuerant, at-  
que ad eò & fundamentum, & colorem justitiæ omnis de-  
fuisse ostenderent, etiam Imperialis Decreti defectum commemo-  
rarunt.

6. Non est prætermittendum quod ait Marca, Imperato-  
res judicia à Patriarcha, vel Metropolitano, si qua esset con-  
tra eos suspicio, ad aliam Provinciam olim transtulisse. Nes-  
cio enim, an non hinc fortassis aliqua Galliæ Parlamenta pa-  
trrocinium accerserent illi abufui, quo aliquando, interverso  
Tribunalium Ecclesiasticorum ordine, partes ad Judices non  
suos mittunt, etiam ubi de censuris agitur. Marcæ arrident  
mirum in modum gesta Theodosii Junioris, quia cùm ad con-  
cedenda, quæ rogabatur, puerili facilitate promptus esset, plu-  
rima patravit legitimam suam superantia potestatem. Refert  
igitur Marca exemplum Theodosii Junioris, qui iudicium  
Ibæ

Ibæ Edeffenorum Metropolitanæ, nec non Joannis, & Danielis Episcoporum Provinciæ Osroënæ de hæresi accusatorum, à Domno Patriarcha Antiocheno, apud quem jam fuerat lis contestata, ad Photium Episcopum Tyri, & Eufathium Beryti Provinciæ Phœnicæ, cum Uranio Himeriorum Episcopo avocavit, quod patet ex ejus rescripto inter acta Concilii Chalcedonenfis act. 10. Sed usurpatum fuisse judicium illud ex ipsa rei naturâ fit evidens.

7. Sanè si hæc potestas penes Principes esset, Canonum non solum tuendorum, sed etiam evertendorum facultatem haberent; cum à Conciliis etiam generalibus statutum sit, ut causarum Ecclesiasticarum judicia in propriis Provinciis exercentur. Is enim est, nominatim Canonis Nicæni sensus, ad quem respexerunt S. Joannes Chrysostomus, & Theophilus Alexandrinus, cum Arcadius Theodosii Junioris Pater Theophilum à S. Joanne Chrysostomo, & mox S. Joannem Chrysostomum à Theophilo judicari præcepisset. Nam Imperatoris delegationem hujusmodi uterque tanquam Canonibus contrariam improbavit, quippe cum neuter alteri esset subditus: eam tamen Theophilus, qui, quo minus adversum se usurparetur, institerat, adversus S. Chrysostomum acceptavit, aliâ in eum mensurâ utens, quàm quæ adversus Theophilum ipsum à S. Joanne Chrysostomo adhibita fuerat. Constat hoc epistolâ ejusdem sancti ad sanctum Innocentium primum. *Cum Theophilus, inquit, causam dicere nollet, meque urgerent Accusatores ejus, vocavit nos Imperator piensissimus, & iussit, ut iremus ad locum in quo ille agebat, & illic ea, quæ contra illum dicebantur, audiremus. Nos autem scientes leges Patrum, viroque honorem deferentes, habentes etiam super hac re ejus litteras, oportere in quibusque Provinciis sua negotia tractari, neque extra limites illarum trahi, vehementer detrectavimus, ne causam susciperemus judicandam. Deinde congruum non est, ut qui in Ægypto sunt, judicent eos, qui in Thracia. Et infra; Domini mei maxime venerandi, & pii, studium vestrum, & magnam diligentiam adhibete, quo retrudatur hæc, quæ in Ecclesias irrupit, iniquitas. Quippe si mos hic invaluerit, & fas fuerit cuivis in alienam parochiam irrumperere, idque ex tantis intervallis, & ejicere quos voluerit, & propria autoritate quavis pro libertate sua facere, scitote quod brevi transibunt omnia, & totus Orbis premetur bello non indicto, omnibus ejectionis, & omnibus ejicientibus.*

8. Sed & ipsi Accusatores Ibæ profiteri non audent se Judices extraordinarios spontè postulasse, cùm potius agnoscant post Patriarcham Antiochenum adendum fuisse Concilium tam Orientale, quàm Occidentale. Sic enim habet Libellus Samuelis, & aliorum Presbyterorum Edesæ ad Photium, & ad reliquos Episcopos, contra Ibam. *Consequenter & secundum Canones adentes Concilium tam Orientale, quàm Occidentale, oportuit nos, & piissimum atque Christianissimum Principem nostrum pro his deprecari. Ex hoc ergò, & sanctissimo nostro Archiepiscopo Flaviano pariter decernente, & cum piissimo nostro Principe disponente, à vestra sanctitate nostrum exerceri negotium, advenimus parati nobis adesse. Inter acta Concilii Chalcedon. act. 10. Recurrerant igitur ad Imperatorem, ut eorum causa ejus favore à Concilio Orientali, & Occidentali audiretur.*

9. Dominus injuriam suæ jurisdictioni ab his Clericis illatam graviter conquestus est in suo Concilio Antiocheno, cùm ad causæ judicium sese accingens eorum quosdam ad Imperatorem recurrisse audivit. *Manifesti sunt, inquit, desertores, & excommunicationem, & Apostolicum hunc thronum contemntes, & se ipsos submittentem majori damnationis supplicio. Inter acta Concilii Chalcedonensis act. 10. Non ergo sine Canonum violatione, sine legitimorum Judicum injuria, & sine sæcularis potestatis abusu, translata sunt ab una Provincia in aliam per Imperatores, Ecclesiasticorum negotiorum judicia.*

10. Iniquius est, quod in reliquâ hujus cap. 3. parte probat, & jus vocat Marca; scilicet Principes ordinem à Conciliis etiam Oecumenicis servandum præscripsisse, eam observationem per Comites ad id missos curasse; imò, si quid præter eum ordinem attentatum fuisset à Concilio Oecumenico, in irritum misisse; quis tanquam Judex; quis tanquam reus ibi habendus esset, statuisse; nec non cujus Concilii Decretorum habenda esset ratio, ut ab eo non posset appellatio interponi; cujus autem sententia non eam vim habere deberet. Nescio an salvâ fide tanta Principibus sæcularibus in Concilia tribui possit autoritas. Sed quæ sunt illius juris fundamenta? Exemplum Theodosii Junioris ea, quæ à Concilio Ephesino gesta fuerant contra Joannem Patriarcham Antiochenum, aliosque Episcopos Orientales, rescindentis,

dentis. *Eo etiam, inquit Marca, quod à forma litteris suis præscripta temere discessum fuisset. Liberum enim sibi Principes existimabant, ut rerum gerendarum ordinem etiam Conciliis Oecumenicis præscriberent. Magis videntur expressa verba numeri 3. capitis 22. libri 6. At non fortuito aut per occasionem Synodus deliberat de materia à Rege proposita; sed quia inter jura Regia & hoc etiam eximium est, ut Conciliorum cognitionem Principes intra certos limites coerceant, servato quoque ordine præscripto. Modus hic agendi deprehenditur in litteris Imperatoris Theodosii pro convocazione Concilii Ephesini primi, atque item secundi. Sed Theodosii fuit illa temeritas: & indignum est, ut proponatur in exemplum, factum, quod tum ab omnibus aliis scriptoribus Catholicis dedecori Theodosio vertitur, tum ab ipsomet Imperatore improbatum est, ut patet ex actis Concilii Ephesini parte 3. cap. 14.*

11. *At, inquit, improbatum est, quia injustum in se, non quia ab illegitima potestate. Nec enim Synodus expostularit cum Theodosio de usurpata jurisdictione, sed de obreptione ob falsam Candidiani Comitis relationem. Quasi verò liberum sit omnia injustitiæ capita Principibus à perverfis Ministris seductis objicere; & non cogat potius illorum potentia, quæ minus placent, idest quæ potestatis limitum admonent, silentio involvere: quæ autem minùs ægrè ferunt delicatæ illorum aures, scilicet alienum mendacium, ac rei veritatem exponere, dummodò hoc satis sit, ut damnum illatum reparetur.*

12. *Nec minùs improbum fuit aliud factum Theodosii, cum in Conciliabulo secundo Ephesino eum cognitioni Synodi ordinem præscripsit, ut Flavianus Episcopus Constantinopolitanus inter reos haberetur, eo quod sententiam adversus Eutichem dedisset; licet sæcùs actum fuisset antea erga Episcopos Orientales, qui Antiochiæ in S. Athanasium sententiam dixerant. Discrimen, inquit, Marca in fine hujus cap. 3. ex eo proficiscitur, quod Concilii Antiocheni ratio habita fuit perinde ac si appellari ab ejus judicio non posset, sed tantum retractationis cognitio insitui, ut fieri solebat adversus sententias Præfectorum Prætorio. At Synodus Flaviani non eo jure potita est, sed eo loco habita, ac si ab ea provocari possit. Quod non alia ratione nitebatur, quam mero Theodosii arbitrio, qui ordini hujus cognitionis, quas voluit leges præscripsit, etsi à cæterorum judiciorum ordine alienas. Hujus doctrinæ, ac similibus Autores,*

Ec-

M. C.  
De Libertatibus  
Ecclesie Gallicane  
GIII  
231

712 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
Ecclesia Gallicana suarum libertatum vindices tantopere lau-  
dat, tantique facit. His adminiculis suffulciuntur celebres  
illæ libertates. Illi sunt Canones, illa Patrum traditio, qui-  
bus nituntur, nempe exempla violatorum ab Imperatoribus  
sanctiorum Ecclesiæ jurium.

C A P U T VI.

*An possint Principes Synodaliū sententiarum effectum  
suspendere, atque à Judicibus Ecclesiasticis appella-  
tiones in causis etiam Ecclesiasticis recipere.*

**R**ursus exemplum Theodosii junioris adhibet Mar-  
ca lib. 4. cap. 4. num. 1. ut probet Principes posse senten-  
tiæ in judicio Ecclesiastico latæ executionem suspendere, no-  
vâ Synodo ad causam iterum tractandam indictâ; quia nimi-  
rum, licet Cælestinus summus Pontifex cum Concilio Ro-  
mano, & cum secutus Cyrillus cum Concilio Alexandrino,  
Nestorium à communionem Ecclesiæ Catholicæ segregasset,  
nisi intra decem dies, ab admonitionis tempore numerandos,  
nefandam suam hæresim anathematizaret, Theodosius Syno-  
dum generalem Ephesi celebrandam indicens, Romanæ &  
Alexandrinæ sententiam interim effectum sortiri vetuit, quod  
ex eo colligit, quod Nestorius tanquam Episcopus ad Syno-  
dum vocatus, & in Synodo nominatus fuit. Sed, quam ha-  
buit vim suspensio sententiæ à Conciliis Romano & Antio-  
cheno contra Nestorium prolata, ea non Imperatoris Edicto,  
sed summi Pontificis indulgentiæ adscribenda est. Consultus  
enim Cælestinus Romanus Pontifex à S. Cyrillo paulò ante  
Concilium Ephesinum, utrum Nestorius tanquam Episcopus  
habendus esset, quippè cum effluxisset tempus induciarum ei  
ad anathematizandum errorem concessarum, respondit super-  
sedendum exequendo judicio. Quæstio S. Cyrilli concepta  
his verbis erat; *Utrum sancta Synodus recipere debeat hominem à se præ-  
dicata damnantem, an, quia induciarum tempus emensum est, sententia du-  
dum lata perduvet.* Respondit summus Pontifex; *Super hac utique con-  
sultatione communi, communem Dominum consulamus. Nonne nobis respondet  
illud*

illud per Prophetam, mortem se nolle morientis; & per Apostolum Paulum omnem hominem velle salvum fieri, & venire ad scientiam veritatis? Nunquam displicet Deo accelerata in quocumque correctio. Epistolâ Cælestini ad Cyrillum, Labbe tom. 3. Concil. Ephes. act. 2.

2. Quomodo potuit Catholicus Autor in animum inducere, excommunicationis, & depositionis vim & effectum Edicto Imperiali suspendi. Hæc propositio, si de jure, ac in ordine ad conscientiam intelligatur, hæresis labe non carebit. Quamobrem de facto interpretari eam malumus; ut scilicet Principes pro eâ, quâ pollebant, potentiâ impedirent, aut remorarentur nonnunquam judiciorum Ecclesiasticorum executionem: hoc autem ab eis legitimè tunc tantum fiebat, cum præeuntem, ac rogantem Ecclesiam sequebantur. Eorum enim auxilium implorare cogebantur Pontifices, & Synodi adversus contumaces, & interdum rabidos Ecclesiæ hostes, ut videre est in exemplis ab Autore relatis num. 2. & 4. ejusdem cap. 4. scilicet S. Leonis Theodosium interpellantis, ut suspendi juberet executionem secundi Concilii seu Latrocini Ephesini, nec non Legatorum sanctæ Sedis invocantium auxilium Judicum in Synodo Chalcedonensi, adversus illius Synodi decreta, quæ Canonibus Nicænis erant contraria. Absurdum autem est, eam Legatorum petitionem appellatione tanquam ab abusu explicare: quasi Judices à Martino delegati fuissent ad judicandas appellationes de Canonibus violatis interjiciendas, & ad eos appellasset Legati S. Leonis à Concilio Chalcedonensi, suis Canonibus Canones Nicænos violante.

3. Jus aliud, inquit Marca num. 6. à Justiniano continuatum, vel institutum legimus, scilicet, ut ab Episcopis Imperatoris rescripto delegatis ad controversiam Ecclesiasticam dirimendam, Princeps ipse appellaretur. Sed in Justiniani loco, quem refert ex novel. 123. cap. 21. causarum Ecclesiasticarum nulla fit mentio. Si tamen (verba sunt Justiniani à Marca exscripta) Imperiali fensione, aut judiciali præcepto Episcopus judicat inter quascumque personas, appellatio ad Imperium, aut ad eum, qui transmisit negotium, referatur. Verba illa, inter quascumque personas, indicant potiùs causas profanas, quæ si Episcopis, ut fiebat interdum, commissæ fuissent, & ab eorum

X x x rum



M. C.  
De  
Libertatibus  
Ecclesiarum  
CIII  
231

714 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
rum sententia fuisset appellatum, ad committentem perfe-  
renda erat appellatio, inter quascumque personas esset con-  
troversia, idest etiam si Clericatus honore essent insignita,  
quia res non persona tunc attendebatur. Quae interpretatio  
ex eo, quod praecedit, confirmatur. Statuit enim Justinianus,  
ut, si Judex sententiam Episcopi in causa contra Clericum  
aut Monachum sive Monacham, justam cognovisset, eam  
executioni demandaret, amota omni appellatione. Si Judex in-  
justam declarasset, posset ab ejus declaratione appellari secun-  
dum legum ordinem; idest, ad legitimum Superiorem secun-  
dum rerum conditionem. Addidit postea verba supra relata,  
quibus decernit in causis delegatis ab Imperatore aut alio, ad  
ipsum delegantem esse appellationem emittendam, sine perso-  
narum distinctione. Sed si de causis profanis id non accipitur;  
quid aliud effecit Imperator, quam culpam addidit culpae,  
& primam causae cognitionem delegans, & appellationem si-  
bi reservans?

4. Hoc delegationis genus S. Gregorio non ingratum fuisse  
colligit Marca ex iis, quae gesta sunt in causa Adriani Thebanae  
Civitatis Episcopi: sed frustra. Cum Adrianus a Diaconis suis  
accusaretur de pecuniariis, criminalibusque capitulis, Mau-  
ritius Imperator Joanni Episcopo Larissae causam commisit.  
Sed cur placuit Marcae hanc delegationem vocare? Cum enim  
praedictus Joannes Metropolitanus esset Adriani, an, qui ex  
tot Canonibus Ecclesiasticis Judex erat, Principis indigebat  
delegatione? De pecuniariis quidem permisit Imperator, ut  
Metropolitanus ferret sententiam; de criminalibus vero post  
examen ad se referri voluit.

5. Si tam religiosus fuisset Marca in conservandis summo-  
rum Pontificum juribus, quam in extendenda Regum poten-  
tia profusus; factum illud ita fuisset interpretatus, ut Mau-  
ritius ordinem canonicum secutus, Episcopum ad proprium  
Metropolitanum remittens, pecuniarias quidem causas ab eo  
definiendas duxerit, criminales vero tantum examinandas;  
ut, si forte reus deponendus esset, Romani Pontificis sen-  
tentia requireretur. Agebatur enim de neglecta ab Adriano  
correctione Stephani Diaconi turpem vitam degentis, & de  
negato Baptismate Infantibus, non recepto illo Sacramento de-

defunctis, ut refert S. Gregorius regeft. lib. 2. epift. 46. quæ est 7. indictionis 11. Nec careret optimis conjecturis illa opinio. Primò enim illa crimina Ecclesiastica sine dubio funt, & ad Ecclesiasticam cognitionem magis fpectant, quàm caufæ pecuniariæ, de quibus Metropolitanus permiffus est jus dicere. Secundò re ipsâ de criminibus illis ex Imperatoris affenfu judicavit Honoratus sanctæ Sedis Diaconus, cum uno ex Officialibus Imperii, judiciumque ab Imperatore approbatum fuit; siquidem fuerat illa Mauriti mens, non immeritò ejus *reftas juffiones* appellavit S. Gregorius.

6. Quod fpectat delegationem Joannis Epifcopi primæ Justinianæ, qui Thebani Judex ordinarius non erat; S. Gregorius testatur eam fuiffe fraude elicitam. *Nefcio*, inquit prædictâ epiftolâ 46. quibus *machinationibus exquisitis alia rursus est principalis juffio elicitâ*, ut de cunctis antefactis capitulis Joannes primæ Justinianæ Epifcopus requirens subtiliter judicaret. Sunt autem tum in ea, tum in præcedenti epiftolâ multa, quæ demonftrant Principum delegationes juri superiorum Ecclesiasticorum, præcipuè summi Pontificis non poffe, nifi fortè per vim, quidquam detrabere. Nam S. Gregorius sententiam contra Adrianum, tum Metropolitanum, quem Marca vult jure delegato processiffe, tum Joannis Epifcopi primæ Justinianæ, quem delegarat Mauritius, non obftante delegatione Principis irritas declaravit, & in ipfos Judices animadvertit; ut constat ex epiftola fupracitata, & ex præcedenti: quod certè non attentasset S. Pontifex, nifi fuæ sibi potestatis confcius intellexiffet, supremum illius negotii judicium ad fe pertinere. Judicesque, qui primam tulerant sententiam, quantumvis interveniffet Imperatoris opera, etiam in ea ferenda, à fe pependiffe, fibique subjacuisse.

7. His Ecclesiæ vulneribus à fe inflictis lenimentum apponere fe fimulat Marca num. 7. docens graviora inferri folere ab Imperatoribus Constantinopolitanis, quorum tamen usum juris nomine decorat, quàm à Regibus Franciæ; potiori jure *mebantur Imperatores Constantinopolitani, &c.* Quæ idè commemoravi, inquit, ut constaret omnibus Reges Francorum cautius, & reverentius se gefiffe in his controversiis, quæ disciplinam respiciunt. S. etiam 8. observationibus quibusdam, sed ad sanandum malum non omni-

716 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
nō effeacibus, quæ hucusque dixerat, in isto libro non ni-  
hil temperare conatur. Scribit enim v. g. ad Imperatores Ro-  
manos de iudicio canonico ab uno Episcopo reddito, que-  
relam statim rectâ viâ non fuisse delatam in materiâ fidei,  
rituum, disciplinæ Cleri, aut in alia quæstione canonica;  
sed parùm iuvabat Ecclesiam ille ordo, siquidem mediatè,  
sub prætextu delegationis, aut aliis modis parùm canoni-  
cis, hujusmodi causas tandem Principes ad se trahebant.

## C A P U T VII.

### *De autoritate Regum & Episcoporum Franciæ.*

**I.** SI Reges Francorum cautius, & reverentiùs, se gesse-  
runt in controversiis, quæ disciplinam Ecclesiasticam  
respiciunt, quàm Imperatores Romani, ut affirmavit Marca  
sub finem capituli 3. §. 7. id eorum pietati, non defectui juris  
tribuendum esse vult; quandoquidem statim initio cap. 5. ait;  
*Quemadmodum Imperii Romani mole in varias partes dissecta, Galliarum Provin-*  
*cia in victoria præmium Francorum Regibus Divini Numinis auspiciis cesserunt;*  
*ita etiam Imperii jura plene, & integrè cum eis communicata sunt; præcipue*  
*verò tuitionis Ecclesiastica cura Reges nostros respexit, postquam gloriosissimus*  
*Princeps Clodoveus Paganâ impietatis labe aquis divini lavacri feliciter abster-*  
*sâ, in Ecclesia Catholica filium primogenitum adoptatus est. Quantam*  
*sibi vim faciat Autor, cum effusam Principum in Ecclesiasti-*  
*cam jurisdictionem præsumptionem cohibere cogitur, ne*  
*omnino non Catholicus videatur, diù dissimulare non potest,*  
*cùm statim, quod Ecclesiæ reliquerat, repetere tentet. En*  
*hocce §. primo, quando sperabas magnam Ecclesiasticæ autori-*  
*tatis securitatem in Gallia, ex quo Reges Ecclesiæ filii, at-*  
*que adeo in spiritualibus, & Ecclesiasticis rebus subditi, ef-*  
*fecti sunt: ita supra Ecclesiam efferuntur, ut possint ipsi*  
*quidem Episcopos, Canones violantes, corrigere, non pos-*  
*sint autem ipsi ab Episcopis corrigi, si similis violationis rei*  
*sint. Hoc igitur præstat Baptismus, ut qui in Ecclesiam ad-*  
*mittitur, ab Episcoporum censura eximatur.*

2. At, inquit, non tam Marcæ opinio est, quàm Gre-  
gorii

gorii Turonensis, qui lib. 5. historiae cap. 19. Sic Regem Chilpericum alloquitur; *Si quis de nobis ò Rex, justitiæ tramitem transgredere voluerit, à te corrigi potest; si verò tu excesseris, quis te corriget?* Verum id quidem est, ubi de facto intelligitur. Sæpe enim tanta est Principum potentia, tanta etiam aliquorum licentia, ut Episcopos tum reos, tum innoxios pessimè habeant, & vix cujusquam monitionem, nedum correptionem patiantur. Eam esse verborum Gregorii sententiam indicant quæ continuò sequuntur; *Loquimur enim tibi, sed si volueris audis: si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is, qui se pronunciat esse justitiam?* Sed si quis Christianos Principes ab omni Prælatorum censura eximeret, & illos Ethnicos declararet, & se ipsum proderet hæreticum. Attamen tutus fit hæc in parte Marca sub clypeo Gregorii Turonensis.

3. Quid sentiemus de eo, quod §. 2. ait, si quæ judicia in causis Ecclesiasticis ab Episcopis adversum Decreta Regia lata essent, statim contrariis judiciis infringebant Reges. Hoc Marca non probat expressè, (is enim mos ejus est in odiosis, & pudendis, ut odium, & pudorem declinet) nec improbat, quippe quod Regibus faveat. Sed nonne referre, nec improbare, probare quodammodò est? Exemplo autem, quod *insigne* ab Autore appellatur, & certè *insigne* dici potest, licet alio sensu, quàm quem Autor videtur intendisse. Vix enim aliud reperias in historiis Francorum injustius, crudelius, & Rege Christiano indignius.

4. Emerius Episcopus Santonensis absque consensu Metropolitanus, Archiepiscopi scilicet Burdegalensis, atque ad eò contra Canones, decreto Regis Clotharii ordinatus fuerat. Mortuo Clothario, Metropolitanus, nomine Leontius, Synodum Provinciale apud Santones convocavit, in qua prædictus Emerius, utpotè contra expressam Canonum dispositionem, ad Episcopatum promotus, depositus est, ejusque loco suffectus Heraclius. Charibertus Clotharii filius, quasi Regis voluntas Canonibus Conciliorum, etiam generalium, quibus cavetur, ne Episcopus sine Metropolitanis consensu ordinetur, esset anteponenda, non solum acta supradicti Concilii rescidit, mille aureos à Metropolitano, sub *multæ* nomine extorsit, cæteros autem Episcopos ad id,

Xxxx 3

quod

718 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
quod quisque solvere poterat, condemnavit; sed etiam Hera-  
clium plaustrum spinis repleto in exilium trahi præcepit, ut  
refert Gregorius Turonensis lib. 4. hist. Franc. cap. 26. O  
eximie libertates! ô præclara exempla illarum! Ergone  
Gallicani Episcopi, nedum Ministri Regii, huiusmodi li-  
bros, ceu Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ armamentaria præ-  
dicant? Ergone libertatem reputant, multis, & crudeli-  
bus exiliis, ob custoditos Canones subiacere?

5. Sed cuiusmodi, & quàm variabilis est ista Regum Fran-  
corum potentia! Potuit Charibertus Episcopum contra Ca-  
nones promotum, & secundum Canones dejectum, restitue-  
re, alium secundum Canones à Concilio constitutum de-  
ponere, ut tradit Autor §. 2. modò citato; non potuerunt  
autem, ut refert ibidem §. 4. Reges Galliæ, & Germaniæ  
Drogonem Patrum suum, filium Caroli Magni, quan-  
tumvis autoritate Apostolicâ munitum, in Apostolici Vica-  
riatus possessione manutenerent? Eidem potentiæ defectui ob-  
noxius fuit Carolus Calvus Imperator & Rex Franciæ, secun-  
dum Autorem num. 5. cum efficere non potuit, ut Ansegi-  
sus, à Joanne Papa VIII. Primas per Gallias & Germanias  
creatus, eâ dignitate frueretur. Undè tanta diversitas? An  
ex eo quod Charibertus solo jure suo utebatur; Nepotes au-  
tem Caroli Magni autoritatem summi Pontificis suæ præire  
curaverant? Infirmæ, imò infelix summi Pontificis condi-  
tio! non solum enim ipsius autoritas nihil invitis Episcopis  
potest in Canones, sed etiam conjuncta cum autoritate Re-  
gum, illi, quæ alias potentissima esset, robur omne adimit.  
Sic enim Marca sub finem §. sexti post prædicta exempla Dro-  
gonis, & Ansegisi, nec non post autoritatem Hincmari Re-  
menfis. *Quare, inquit, certum erat apud Episcopos Gallicos hoc sacro-  
lo, Canones receptos absque manifesta necessitate à quoquam violari non posse,  
nec à Pontifice, nec à Rege: solaque Synodi Gallicanæ refragatio, antiquis  
Canonibus, & Decretis mixta, novarum rerum effectum impediabat.*

6. Sed numquid Autor à suo instituto, idest à consilio au-  
gendæ jurisdictionis Regiæ, deflectit, Episcopis tantam fa-  
cultatem relinquens, ut possint Principibus, aliquid contra Ca-  
nones tentantibus, obsistere? Hanc ille à se suspensionem quàm-  
primùm amovet. Prosequitur enim; *Non frustra autem necessitatem*  
exce-

M. C.  
De  
Libertatibus  
Ecclesie Gallicane  
CIII  
231

excepit (Hincmarus) quia sæpè ea tempora incidunt; ut Ecclesia intersit in antiquum aliquando immutari, ut his posterioribus sæculis factum videmus. Posterioribus enim sæculis multa contra Canones, aliquando quidem assentientibus, sed sæpè renitentibus Episcopis in mores Gallicanos inuenta sunt, ad stabiliendas libertates Ecclesiæ Gallicanæ, quæ tamen in observandis Canonibus consistere dicuntur.

7. Nullibi non exstant vestigia propensioris Marcæ erga jurisdictionem sæcularem, quàm erga Ecclesiasticam studii in reliquis hujus libri capitibus. Omnia enim ubique contorquentur ad auctoritatem Regiam. Tempore Caroli Magni, & Ludovici Pii Ecclesia, & Respublica communi ferè consensu regebantur in Gallia; & sicut Reges Episcopos politici regiminis participes efficiebant, ita Episcopi Regiam potestatem circa res Ecclesiasticas non tam accuratè declinabant, quàm eâ utebantur ad promovendam disciplinam. Marca quidquid Principes, sive hortantibus summis Pontificibus, sive consentientibus Episcopis, sive per modum monitionis, succursus, aut aliâ ratione, præstabant, omnia in jura Regia conjicit. Sic cap. 7. commemorato zelo Regum Christianissimorum, in juvandis & monendis Episcopis §. 7. asserit illam monitionem ejusmodi fuisse, ut effectus verba sequeretur, & pœna in contumacem, ut jam alibi observavimus.

8. Licet autem frequenter misceretur auctoritas Principis cum Ecclesiastica; non tamen inter se ita confundebantur, quin appareret discrimen. In eo enim ipso, v. g. quod refertur in fine ejusdem cap. 7. ex cap. 8. capitular: Tolosan: anno 844. Carolus Calvus non ita sibi vendicabat correctionem eorum Episcoporum, qui malè interpretati Canones, Presbyteros nimis gravaturi essent, quin Synodi etiam judicium requireret. Si aliter fecerint, omnimodis, & qualiter Canones fidelium decernis agendum statuam, & qualiter intelligi, & observari, cum mansuetudinis nostræ decreto debeant, SYNODALI DIVINATIONE, & nostrâ auctoritate Regiâ doceantur; Nisi autor Ecclesiæ suam jurisdictionem invidisset, juxta hunc locum alium explicuisset, quem affert cap. 10. §. 1. ut probet Reges de causis Ecclesiasticis cognoscere solitos, ordine quodam judiciario, licet non tam accurato. Cum enim ex Constitutione Philippi IV. Regis Franciæ,

ciæ,

720 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
ciæ, quam citat §. 2. cognitio Decimarum, non feudali-  
tam in petitorio, quam in possessorio, Ecclesiasticorum esset  
Judicium ( vide an praxis hodierna Tribunalium sæcularium  
Galliæ, de possessorio Decimarum, imò & Beneficiorum ju-  
dicandi, possit inter jura Regia connumerari, quam repro-  
bat Rex jurium suorum tenacissimus ) cur Carolus illius ma-  
teriæ judicium ad se traxisse putabimus, ut ei sine Synodali di-  
judicatione provideret? Quid ergo sibi volunt illa verba Philippi  
in loco ab Autore adducto, prout ad nos pertinebit? Nonne indi-  
cant Regem id, quod ad se non pertineret, Synodali dijudica-  
tione dimissurum.

9. Prosequitur Marca cap. 8 probare, solitam olim Ec-  
clesiam Gallicanam Synodicâ deliberatione, vel ad Regium  
Patrocinium recursum, sibi prospicere, cum rebus, inquit, per  
obreptionem decretis Roma assentiri non posset, idq; ut executionem impediret.  
Certè non ita culpabile videtur, ut executio suspendatur  
Decretorum per obreptionem impetratorum: quandoquidem  
nec ipsi summi Pontifices id molestè ferre censendi sunt; cum  
ipsis fraus facta sit, quæ cuiquam patrocinari non debet; præ-  
sertim si partes ipsæ culpam fatentur & censuræ se subjiciunt.  
Itaque si obreptitium erat privilegium à Monachis Clunia-  
censibus obtentum, ut ab alio, quam à proprio Episcopo,  
possent, etiam in Monasteriis, in ejus Dicecesi positis, ordi-  
nari, merito reprobata fuit in Concilio apud Ansam anno 1025.  
ordinatio facta in Monasterio Cluniacensi Dicecesis Matiscon-  
ensis ab Archiepiscopo Viennensi; qui similiter, si obreptio-  
nis conscius fuerat, prudenter egit, cum spontè ab Episco-  
po Matisconensi veniam petiit, & de modo satisfactionis, cum  
illo pactus est, sicut narratur in fragmento à Marca relato  
cap. 8. num. 1.

10. Sed quidquid sit de illius narrationis veritate, quæ non  
adèò indubitata est, rem ut fertur, & sine collusionè gestam  
supponamus; ex illa, & ex aliis similibus, quæ fortè ab Au-  
tore adduci potuissent, concludendum est, non potuisse An-  
tistites Gallicanos nec de jure, nec de facto Constitutionibus  
Pontificiis obistere: cum certissimum sit, Monachos Clu-  
niacenses privilegiis Apostolicis usos fuisse, quantumvis reni-  
tentibus, sed tandem cedere coactis Episcopis. Exstant hujus-  
modi

modi Privilegiorum concessiones in libro, cui titulus est; *Bullarium sacri Ordinis Cluniacensis*, Lugduni editum anno 1680. & pag. quidem 8. leguntur 2. epistolæ Joannis XIX. in cujus Pontificatum incidit Concilium Ansanum, quarum altera est ad ipsummet Episcopum Matifconensem nomine Gauflenum, qui in Concilio apud Ansam inducitur querelam movens contra Burchardum Episcopum Viennensem, pro ordinatione Monachorum Cluniacensium; sed hæc epistola testatur & Monachos, & Papam privilegia jam concessa contra Matifconensem Episcopum defendisse. *Nescimus*, inquit Pontifex, quâ novâ temeritate illectus, inextinguibili cupiditate accensus, *Matri tue repugnans*, & contra nos meritis Apostoli Petri Magistrum tuum *levas calcaneum*; cum *Cœnobium Cluniacense cunctis penè nationibus sanctitate præfulgens*, necnon *Apostolicis privilegiis fultum*, & *ab omnium ditione subtractum*, solius Principis Apostolorum & Vicariorum suorum *judicio reservatum commoves*; *vennerandum etiam Infidelibus Patrem Dominum Edilonem Abbatem irreverenter appetis*; fratres *ibidem degentes pro adipiscenda perpetua transitoriam quietem appetentes sollicitas*; *Apostolica privilegia cassare contendis*; quod ita accipimus, quemadmodum si ipsa *membra nostra avidè discerpere quæreres*, & quod sine tua *ruina esse nequit*. *Cave cautè vel jam monitus anima*, & nostrum *Monasterium singulare nobis relinque*, ne, dum *particeps ejus contra nos esse cupis*, *Ordinis nostri exors Apostolicâ autoritate efficiaris*. In altera epistola gratum animum testatur Episcopo Lugdunensi Borchardo, quod Cluniacensi Monasterio *faveret contra Gauflenum*, hortatur ad *prosequendum*, & *concludit his verbis*; *Rogamus*, ut eidem Episcopo *interdicatis*, sicut nos *litteris nostris fecimus*, *consecrationem, ordinationem, vel aliquod jus in nostro Monasterio quærere*, ne, dum *hoc injustè appetit*, quod *justè sibi licet pro sua inobedientia, iterata tantorum Patrum querela, Apostolicâ autoritate careat*. Sed quare Pontifex gratias ageret Borchardo, sive Burchardo pro favore Cluniacensibus in tuendis privilegiis impertito, siquidem in Concilio apud Ansam, hoc est, non longè ab Urbe Lugduno habito, præsidente ipso Burchardo, nec refragante decretum fuisset, ut *acta continent, privilegium Papæ nullius esse momenti*; aut si Concilio anterior est epistola, (nec enim quo tempore data sit apparet) quomodò post honorificum illud officium Romani Pontificis privilegia, quibus antea *faverat Burchardus*, impugnare cœpisset? Sequitur duas illas epistolas ejusdem Pontifici-



M. C.  
722 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
tificis constitutio, confirmans omnia privilegia prædictorum  
Monachorum, & nominatim; ut liceat Monachis ipsius loci cuiuscun-  
que voluerint ordinationis gradum suscipere, ubicumque Abbatibus placuerit. Ac-  
cessit à plurimis aliis Pontificibus eorundem privilegiorum  
confirmatio, ut in præfato Bullario legere est.

11. Non nego modum in concedendis privilegiis servandum,  
ut abusus præcaveantur. Sed nonnulli, dum malo mederi quæ-  
runt, sanationi obicem ponunt, quia scilicet, dum à summo Pon-  
tifice petendum esset remedium, ei concedendorum privilegio-  
rum facultas denegatur; quod cum ad defendenda concessa,  
& ad conservandam concedendi possessionem potius excitat.

12. Privilegia quidem ii, quibus indulta sunt, non negli-  
genter defendunt, nec nostrâ operâ indigent, sed pro con-  
ferendorum potestate visum est, occasione privilegiorum Clu-  
niacensium pauca hic addere ex iis, quæ S. Petrus illius Mo-  
nasterii Abbas 12. sæculo scripsit. Licet enim in propria causâ  
æquatur, debetur ejus pietati reverentia, & rationibus  
æquum, maturumque judicium. Ille igitur lib. 1. epist. 28.  
sic respondet accusantibus Cluniacenses, quod proprio Epif-  
copo non subjacerent; Nos verò respondemus istud veritati contrarium  
oppositâ fronte existere; quoniam patet nos proprium Episcopum habere. Quis  
rectior, quis dignior Romano Episcopo Episcopus potest inveniri? Nonne ille est,  
quem ceteris præesse non humana, sed Divina autoritas sanxit? Nonne ille est,  
cui dictum est, tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris su-  
per terram erit ligatum, & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit  
solutum & in Cælis? Hunc unum solum, & Maximum nos habere Episcopum  
gloriamur; huic solum specialiter obedimus, ab hoc solo, si causa (quod ablit)  
exigeret, interdici, suspendi, atque excommunicari possemus. Hoc inestimabilis  
sanctæ Sedis sanxit autoritas . . . . Nos enim quia contraire non debemus, nec  
de ejus unquam, (quod nulli mortalium licitum est) iudicio judicare. Hoc  
non solum Cluniacenses obtinent, sed & quampluribus datum cernimus: & lon-  
gè ante Cluniacem conditam, multis aliis Monasteriis ab eadem apostolica Se-  
de concessum videmus. Cujus Sedis Præsules cum magni sapientiâ, & Religio-  
ne fuerint, & quorundam ex ipsis merita miraculorum quoque fulgore solemniter  
in Mundo claruerint, incredibile est, aut decipi in talibus potuisse, aut  
contra conscientiam suam agere voluisse. Eo namq; animo, ac intentione que  
nostrorum temporum Apostolici, quieti Monachorum providentes, ea, que diximus  
quamplurimis Monasteriis contulerunt, antiquiores quoque Romana Ecclesiæ Præsules

les simili de causa in multis à juro Episcoporum libera esse Monasteria decreverunt.

13. Quod in eodem cap. refert Marca ex Glabri Rodulphi lib. 2. cap. 4. confutatur ex ipsismet tabulis, ex quibus Glabrum interpretari conatur. Siquidem Glaber narrat Monasterium à Fulcone Andegavorum Comite in Pago Turonico fundatum, eadem die, quâ fuerat à Petro Cardinali auctoritate Joannis Pontificis consecratum, corruisse, in pœnam usurpatæ à summo Pontifice, instigante Comite, jurisdictionis Episcopi Turonensis. Ceptâ igitur, inquit, die constituto satis pompaticè hujusmodi dedicatione, atque peractâ, Missarumq; ex more solemnissimis celebratis, postmodum quique ad propria rediere. Denique imminente istius diei horâ nonâ cum flabris lenibus serenum undique consisteret Cœlum, repente supervenit à plaga Australi vehementissimus turbo, ipsam impellens Ecclesiam, ac replens eam turbido aëre, diù multumq; concutiens. Deinde verò solutis laquearibus universa ejusdem Ecclesia trabes, simulq; tota reges, per pignam ejusdem templi Occidentalem in terram corruentes eversum jerunt. Quod cum multi per Regionem factum comperissent, nulli venit in dubium, quoniam insolens præsumptionis audacia irritum constituisset votum, simulq; presentibus ac futuris quibusque ne huic simile agerent, evidens indicium fuit. Tabulæ autem illæ continent, Hugonem Archiepiscopum Turonensem, audito privilegio à Papa concessio, Romam accessisse, atque à Sergio IV. Joannis successore submissis precibus contendisse, ut Monasterii consecrationem sibi permitteret: sed repullam tulisse; eò quod liberum fuisset Fundatori Monasterii, Ecclesiæ Romanæ illud concedere. Denique ipsum Archiepiscopum acquievissse, atque jus omne, quod in illud Monasterium sibi competere poterat, Ecclesiæ Romanæ concessisse; itaque à Petro Episcopo Viterbiensi auctoritate Sergii fuisse consecratum.

14. Quis ergo credat Ecclesiam illam miraculosè everfam fuisse, in pœnam invasæ jurisdictionis ordinariæ; siquidem ipse ordinarius juri suo cesserat? Quorsum à Chronico Turonensi diceretur, ut à Marca refertur; *Abbatia belli loci* (eò nomine vocatur in tabulis prædictis illa, de qua hic est sermo) & *Ecclesia S. Florentii de Ambatia à Fulcone Herra fundatur an. 1010.* Quorsum, inquam, id diceretur, si statim à consecratione fuisset everfa? Aut quis Ecclesiam miraculosè destructam statim ausus fuisset excitare?

## CAPUT VIII.

*Expenduntur quæ à D. Petro de Marca in favorem Regum Decretis Ecclesiasticis adversantium proferuntur capp. 10. 11. 12. & 18. lib. 4.*

1. **Q**UAMVIS injuriam ferre plerumque laudabile sit, præcipuè cum ab iis infertur, quibus aliàs parere tenentur; Eam tamen licet amovere, dummodò institutam à Deo, atque à legibus, viam sequaris. Est autem ea prima lex, ut nemo in propria causâ Judex sit, nemo propriam ulciscatur injuriam; maximè ubi superior ejus, qui damnum intulit, adiri potest, ac jus dicere non recusat: Hanc equidem legem ad unguem servatam volunt in Gallia sæculares Judices, in iis causis, quæ apud ipsos judicandæ sunt, & ab ea, si quis ex Clero vel tantillum recesserit, appellationes ab abusu ac multæ intentantur. Quid ni ergo Judicibus Ecclesiasticis eadem regulâ uti licebit. Quia scilicet ad Regem, ut in temporalibus, ita & in Ecclesiasticis devolvere supremam autoritatem enitentur Aulici; Idque per gradus, & ordine quodam, ne injustitia tam citò deprehendatur.

2. Dominus de Marca lib. 4. cap. 10. refert litteras Philippi IV. Francorum Regis (cujus, ut jam notavimus, exemplum in rebus Ecclesiasticis, à tempore præsertim diffidii cum Bonifacio VIII. suspectæ autoritatis est) quibus litteris datis anno 1312. continetur Regem requisivisse Episcopum Santonensem, ut abstinere ab exigendis Decimis de rebus, de quibus præstari non consueverant, & inductum novum decimandi modum corrigeret: cujus spondidisse, si jus ad hoc habere crederet, se cum deliberatione sui consilii provisurum, prout, servatâ pace, & salute Ecclesiæ, & Patriæ, faciendum foret: mandasse autem Bailliaco, seu Senescallo Santonensi, ut, si Episcopus quod requirebatur, implere recusaret, aut nimium differret, bona ejus temporalia sequestrarentur, & ad manum Regiam tenerentur. Æquius fuisset, ut Episcopi Santonensis injusta exactio Me-  
tropo-

tropolitani fuisset autoritate compressa; præsertim cum, ut fatetur Marca §. 3. Decimarum cognitio, ex ipsiusmet Philippi IV. declaratione, pertineret ad Iudices Ecclesiasticos. Sed vera, inquit §. 4. ratio, ob quam Philippus negotium istud sibi vendicat, è scandalo petitur. Frustra vero §. 5. autoritate S. Leonis, Anastasii, & alterius Leonis Episcopi Santonensis probare nititur, Principum esse, scandala compefcere. Id enim verum est in rebus Ecclesiasticis, dum ob improborum potentiam, & proterviam, Ecclesia hæreses, schismata, vel alia scandala sistere non potest, Regumque opem implorat, vel dum sine periculo seditionis, homicidiorum, aliorumve malorum remedium ab Ecclesia expectari non potest, quod periculum tunc aberat, & tam raro contingit, ut hinc regula constitui non possit.

3. Rescriptis Regiis consultum semper fuisse libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ affirmat idem Marca §. 6. Illud ita factum *semper*, probat hic libellis Comitiorum Turonensium anni 1493. Recentiora sunt illa monumenta, quam ut inde ostendi possit idem fuisse factum *semper*. Non negamus certè postremis his sæculis, Regni illius Ordines, etiam Clerum, Regiam autoritatem invocasse contra Romanum Pontificem; sed quæstio est, an laudabilis sit ille recursus, ut possit in argumentum juris assumi? Sanè, si ex fructibus ferendum est de arbore iudicium, usum istum ad minus suspectum habebunt, quicumque jurisdictionem Ecclesiasticam illæsam cupiunt. Viam enim, ut alibi observavimus, laicæ potestati aperuit, non solum ut immineretur debita sanctæ Sedi reverentia, sed etiam ut extingueretur ferè jurisdictio Episcoporum, aut potius ad tribunalia sæcularia traheretur. Itaque si propter temporis improbitatem, seu propter incommoda, in quæ se Gallia coniecerat, Pontificum Avenionensium partes amplectens, aliquam habuit à necessitate excusationem; non tamen ejusmodi fuit exemplum, quod oporteat imitatione dignum judicare.

4. Prospectum erat executioni Bullarum, quibus certa privilegia Regibus pro terris, & ffcis Domani Regii, à Romanis Pontificibus concessa fuerant, deputatis Conservatoribus. *Sed quia*, inquit Marca §. 7. *variis iudificationibus, & iudiciorum*

*formulis negotium trahatur, visum est Principi, tuitionis jure rem ad se revocare.* Putasne Conservatores privilegiorum ludificare, variasque judiciorum formulas excogitare, quo negotia, quæ Regibus cordi sunt, tantum protrahant, ut ipsis necesse sit, auctoritate propriâ, per bonorum captionem, & multas inflictas, Episcopos cogere ad revocandas excommunicationis, aut aliarum censurarum sententias, non solum contra prohibitionem Concilii Tridentini Gallis parum accepti, sed etiam contra constitutionem Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. quod maximi facit Marca cap. 18. §. 3. & 4. licet illius verba detorqueat, ut intento suo obesse non videantur. Itâ scilicet securum est, privilegia Principibus conferre, qui prætextu conservandæ gratiæ collatæ, alia jura concedentis, quæ religiosius tueri deberent, sensim usurpant.

5. Hanc autem Ecclesiæ injuriam patienter tolerari vult pro more suo Marca §. 8. quia graviores olim intulerunt Imperatores. Ex quo intelliges, quod alibi monuimus, eum pessima, & iniquissima exempla sæpè proferre, non ut omnino probet (puderet enim, nisi saltem addito temperamento) sed ut illorum comparatione innocua videantur, aut saltem toleranda, quæ in Gallia fiunt, injusta quidem, sed minus, quàm quæ ab Imperatoribus perpetrata sunt.

6. Cap. 11. §. 1. controversiarum de invasa jurisdictione Principum altum silentium apud Veteres fuisse notat; quia ab Episcopis antiquis sola Canonum disciplina curabatur. Si quando se rebus Sæcularibus, aut judicandis, aut administrandis immiscerent, id sibi Legibus suo Sæculo latis indultum profitebantur. Id planè verum: sed addendum, hodiè controversiis hujusmodi Tribunalia sæcularia continuo personare; non tam quod Episcopi Principum jurisdictionem usurpent, vel etiam Canonum disciplinam non curent, quàm quod Judices Sæculares, Ecclesiasticam jurisdictionem invadentes, suam conquerantur fuisse invasam, aut violatos Canones; causasque Spirituales ipsi judicent, nedum non permittant Episcopis temporales. Cætera, quæ disputat hic Marca, sunt in lib. 3. suprâ examinata.

7. Laudandus tantummodò est, quod in fine hujus capituli sanius sentiat de Libertatibus Gallicanis, quàm Papius Mas-

Maffonus : quæ tamen laus non est admodum insignis.

8. Conciliis perinde, atque Summis Pontificibus obsistunt Galli, ut probat Marca cap. 13. dum sibi adversantur. Quæ quidem resistentia, ut minus culpabilis appareat, trito illo prætextu excusatur, quod jura Principum læsa sint; quod si verum esset, non vi aut minis, sed modestiori, atque honestiori esset ratione reparanda injuria. Cui enim probentur hæc verba Henrici II. Regis Angliæ à Marca in fine §. 1. post Wilielmum Malmesburiensem relata. *Quid ad me delictis Apostolicis? Jura Regni mei nolo amittere.* Sed nescio an justum cuiquam videri queat, quod ipsimet Principes pravorum Consiliariorum suggestionem inter sua jura, quæcumque libet, recenseant, ac postmodum adhibitis severioribus poenis exigant. *Venerant Gregorius VII. (ut verbis Marcæ §. 1. istius cap. 13. utamur) Urbanus II. & Paschalis II. excommunicationis poenâ adjectâ, ne Episcopi, aut Clerici hominibus, sed tantum fidelitate se Principibus adstringerent. Tamen Radulphus in Episcopatum Remensem, expulso Gervasio invasore, restitui non potuit, nisi præstito hominibus. Factum excusat Ivo Carnotensis episc. 190. ex parte Radulphi, sed quis existimet idè excusandos esse Ministros Regios, quia Episcopus Carnotensis cum S. Augustino monet Paschalem, ut ait Marca, ubi populorum strages jacent, detrahendum esse aliquid Canonum severitati, ut majoribus morbis sanandis charitas sincera subveniat. Ita scilicet Aulici homines controversias Ecclesiæ cum Principibus componi curant, non detestantur Principibus injuriâ, quæ irrogatur Ecclesiæ, sed intentatis Ecclesiæ majorum malorum minis, (ubi populorum strages jacent, & majores morbi) nisi Principum votis sese accommodet.*

9. Apertiùs improbat Ivo coactos Clericos pauperes à Magistratibus Regiis ad persolvendas aliquas præstationes, contra quas Clerus Carnotensis privilegium speciale à Paschali II. impetraverat. Magistratus excusat Marca §. 2. vel saltem excommunicari non debuisse contendit, quia eorum injustitia erat dubia; *Et quod Clerici de rapina damnabant, Præpositi inter salaria recensebant.* Certè, si mutato nomine res apertè injustæ, evadunt dubiæ; si satis est, ut Salarium, juris, alteriusve tituli colore obducantur, ut ab Ecclesia vindicari nequeant, nihil erit, quod sæcularibus in res Ecclesiasticas non liceat. At

728 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
re ipsâ Præpositorum illorum manifestam fuisse injustitiam,  
testatur Ivo his verbis epist. 271. *non enim minuitur aliquid de jure  
Præpositorum, vel aufertur, sed Apostolicâ autoritate interdicitur eis illicita  
angaria & pauperum vexationes, quas non tantum Clericis, sed nec Laicis licet  
exercere vel exigere, &c.*

10. Capite 18. ut jam alibi probat Marca, exemplis scilicet,  
Reges eorumque Officiales, per pignorum captionem, &  
militarum exactiorem cohibuisse Episcopos jurisdictionem  
suam adversus Regiam defendentes censuris; sed sunt ejus-  
modi exempla, quæ idem vult admitti, quia pejora, & à sa-  
pientibus improbata edidit Justinianus. Quid enim aliud,  
quàm vim illatam innuunt illa verba epistolæ 137. Ivois à  
Clero Beluacensi consulti circa controversiam inter ipsum,  
& Ludovicum VI. de cognitione causæ cujusdam Canonici  
ejus Ecclesiæ, quam Curia Regis ad se evocabat, Ecclesiastica  
verò retinere conabatur. *Si autem sciremus vos esse paratos, ut cum gaudio  
tolerare possitis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum  
vestrorum, possemus vos exhortari, ut sequeremini consilium Susanna, qua  
magis elegit in manus hominum incidere, quam Dei legem derelinquere.*

11. Quæ in tribus ultimis lib. 4. capitibus tractat Marca  
de appellationibus tanquam ab abusu, lib. seq. expendemus,  
alia jam alibi, prout sese obtulit occasio.

12. Sufficiunt, quæ hæcenus dicta sunt, ut quilibet agnoscat  
Illustrissimum Petrum de Marca concordiam inter Sacerdo-  
tium & Imperium procurare his libris voluisse, eâ tantum  
conditione, ut quæcumque in Gallia geruntur à Ministris  
Regiis, & sæcularibus Judicibus, patienter ab Ecclesia ferrentur,  
consideratis gravioribus injuriis olim Ecclesiæ illatis, aut  
etiãnum metuendis, nisi temperamentum illud acceptetur:  
Nec minùs Episcoporum Gallicanorum, quàm sanctæ Sedis  
jura, ejus Autoris doctrinâ violari, ideoque non satis consul-  
tò agere, qui tantam ei auctoritatem deferunt, ejus eruditio-  
nis opinione ducti, aut quod Galliæ adversus Romanum Pon-  
tificem in nonnullis articulis favere videatur; cum magis ei  
cordi fuerit Principum adversus Ecclesiam, quàm Episcopo-  
rum adversus Curiam Romanam causæ patrocinari, ac Prætidis  
Regii eo in opere, ut ipsemet confessus est, potius quàm  
Episcopi personam sustinuerit.

C A-

## CAPUT IX.

*De Stephani Baluzii doctrina circa Principum in res Ecclesiasticas auctoritatem.*

1. **N**on est sejungendus Stephanus Baluzius à suo Mecœnate Petro de Marca, cujus zelum in amplificanda Principum potestate secutus est, & nescio an non etiam superaverit. Illi saltem, cum Præses esset, scribenti pro sæculari jurisdictione similis esse maluit, quàm Episcopo sanctæ Sedis dignitatem aliquo pacto defendenti. Quamvis enim Illustrissimus Petrus de Marca in ea, quam Baluzius ejus libris de Concordia Sacerdotii & Imperii præfixit, schedâ declaraverit, *Quidquid præter Canonum & Decretalium mentem in Gallia circa res Ecclesiasticas agitur, id fieri ex privilegiis Apostolicis, non autem mero jure Regio, ut quidam autumabant, Marcæ persuasum esse. Baluzius è contra ubique occasionem captat Regibus suis, tanquam Coronæ jus, vendicare auctoritatem circa res Ecclesiasticas, ut in variis ejus operibus cuique licet observare.*

2. Audi eum in notis ad Lupi Ferrariensis epist. 81. ver. *Zacharia; Merito, inquit, rejicienda est sententia Illustrissimi Cardinalis Baronii, qui ex hoc Lupi loco collegit jus illud, quo per eas tempestates utebantur Reges in dandis Episcopatibus, non ex ipsorum auctoritate fluxisse, sed ex concessione Sedis Apostolicæ. Nullam enim penitus in rebus Ecclesiasticis jus habere Reges. Sanè dissuendum non est, quin ita cum Baronio sentiant Transalpina gentes. Nos verò Galli, Reges nostros non summovemus prorsus à rebus sacris, ab iis nimirum, quæ disciplinam Ecclesiasticam respiciunt, & executionem Regalium Ecclesiasticarum.*

3. Neesse fuit, inquit, Marcæ ad obtinendam Episcopatus provisionem, ut sese Romanorum opinionibus accommodaret. Baluzio autem licet liberius loqui. Non puto concessurum Baluzium in re gravi mentitum Illustrissimum illum virum. Sed nonne Baluzium ipsum invitare posset ad extolendam Regis sui auctoritatem spes impetrandi à Christianissima Majestate Beneficii? Illic enim à nonnullis pluris fit nominatio Principis, quàm collatio Pontificis; quia licet ista

Z z z z

verè



730 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
verè faciat Abbatem, vel Episcopum; illa tamen magis apparet  
efficax, eo quod, nisi gravissima causa obstet, suum sortia-  
tur effectum. Undè Regi potiùs, quàm sanctæ Sedi accep-  
tum Beneficium refertur. Audi Reverendissimum Archiepis-  
copum Tolosanum ad Pontificem Maximum scribentem die  
3. Decembris 1680. *Scimus equidem in iis omnibus, quæ hætenus dicta  
sunt à Sanctitate vestra, eò tantum illam spectasse, ut nonnulla hujus Regni  
Ecclesia subtraherentur jugo, & novo, ut credebatur ipsa, & intolerabili: asse-  
verabo tamen illud fidenter Sanctitati Vestra, nullum jugum grave nobis visum  
iri sub hoc Principe Pio aequè ac Benefico; futuræq; Ecclesias nostras satis li-  
beras, quandiu Patroio tanto gloriari poterunt. In ejus ditione nati sumus,  
sub ejusdem Imperio vivimus, NOSTRAS EI DIGNITATES DEBEMVS;  
NOS ILLE SANCTITATI VESTRÆ NOMINAVIT; eo protegente  
in vinea Domini operamur; eo denique benevolente opimis illis pacificè fruimur  
reditibus, quibus munifici Majores ejus Ecclesias nostras aequè ac Sedem Aposto-  
licam locupletarunt.*

4. Ob illa igitur Beneficia non solùm nullum jugum grave videbi-  
tur, *Serunt Ecclesia satis libera, quamvis tollatur eis collatio Bene-  
ficioꝝ, & Dignitatum, etiam jurisdictionem spiritualem  
habentium, Sede vacante (forsan enim si hæc Episcopo plenâ  
Sede adimerentur, jugum grave videretur, & Ecclesiæ non ita  
liberæ censerentur) sed etiam, si Papa illi Coronæ juri ob-  
sistere audeat, Episcopos experietur Adversarios; quasi suas ei  
Dignitates non deberent, plusq; illis præstitisset, qui illos Sanctitati sua  
nominavit, quàm sua Sanctitas (cujus gratiâ nihilominus etiam  
prædictus Præful se dicit Archiepiscopum Tolosanum) eis  
Episcopatus conferens. Audi rursùs Metropolitanum illum  
paulò inferiùs comminantem; AN NOS QVI TAM INCLYTO  
PRINCIPI MVLTÒ PLVS DEBEMVS, QVAM CÆTERI SVBDI-  
TI, SEGNES, AC DESIDES ERIMVS; CVM ILLIVS RES AGE-  
TVR, CVMQVE ET CORONÆ IVRA, ET IMMVNITATES REG-  
NI TVERI CONVENIAT? Etiamne Episcopi inter libertates,  
seu immunitates Regni enumerant, ut non possit summus  
Pontifex procurare executionem Concilii generalis, Lug-  
dunensis scilicet, Regaliam de novo usurpare prohibentis?  
Etiamne Episcopi minis summum Pontificem, ab ea cura de-  
terrendum existimant? Quasi verò, ait Facundus Hermian.  
lib. 4. *propter hoc tantum ordinati sumus Episcopi, ut ditemur Principum  
donis**

donis & cum eis inter maximas potestates confideamus, tanquam divini Sacerdotii privilegium fulti: scubi autem fallacis malignorum, quæ nullis temporibus defuerunt, aliquid eis inter tantas Reipublicæ tuæ curas subreptum fuerit, quod Ecclesia Dei præjudicet, vel Ecclesia pacem turbet; non eis debeamus pro ipsorum salute, quæ sunt vera suggerere, & si necesse fuerit, Religionis autoritate resistere, ac patienter offensionem quoque illorum, si acciderit, sustinere. Et ubi erit illud Propheticum; Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar? nisi forte Pastores quidem ad lac & velleræ, ad avertendas verò Luporum insidias, & tuenda ovilia, desertores.

5. Hinc inferes, an justa sit Gallicanorum Scriptorum accusatio adversus Doctores, quos illi Ultramontanos vocant; quod scilicet autoritatem summi Pontificis ultra modum extendant proprii commodi causâ; quasi non magis verendum sit, ne ipsi Regiam jurisdictionem cum Ecclesiasticæ detrimento plus æquo extollant, ut Rege benevolente opinis fruantur redditibus. Sed redeamus ad Baluzium.

6. O quàm erat Principi suo infidelis Clerus Gallicanus! Quàm infidelis Senatus! Quàm infidelis Universitas studii Parisiensis! Quàm infideles denique omnes penè Galli, qui tam pertinaciter suis Regibus obstiterunt, ne aboleretur jus electionis à Concilio Basileensi restitutum aut confirmatum, neve reciperentur Concordata nominationem Episcoporum Regi Christianissimo tribuentia; siquidem jus dandi Episcopatus ex ipsorum Regum autoritate stuebat, insignem, atrocemq; injuriam sacrosanctæ Principum Dignitati faciebant, qui tam eximio jure Coronæ illos frui non sinebant, sed ut penes Capitula remaneret, nitentantur.

7. Quamvis autem de jure dandorum Episcopatum non necesse sit modò disputare, exhibendus tamen est locus Lupi Ferrariensis, cujus occasione Baronium carpsit Baluzius. Neminem enim ferè arbitror, qui, eo lecto, non judicet injustam esse omninò Baluzii accusationem; atque, si Lupi testimonio stetur, rectiùs cum Baronio sentire Transalpinas gentes, quàm Gallos; quandoquidem prædicto Baluzio placuit defensores jurium Ecclesiasticorum, quasi contemptus gratiâ, Transalpinas gentes nominare, illisque se, aliosque Gallos opponere, quasi altioris gradus Doctores; (nos verò Galli) Vos ergò Galli inter ea, quæ disciplinam Ecclesiasticam respiciunt, & executionem Re-

732 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
gallicanum Ecclesiasticarum computatis jus Regum in dandis Episcopatibus, non  
ex concessione Sedis Apostolica, sed ex ipsorum autoritate. Itane aliæ Pro-  
vinciæ Christianæ? Itane Concilia Oecumenica vestrarum li-  
bertatum fundamenta? Itane etiam omnes Galli? Itane, ut  
longius non excurramus, Lupus Ferrariensis?

8. En igitur verba Lupi Ferrariensis epist. 81. Vide an non  
illis Baronii, & Transalpinarum gentium interpretatio ma-  
gis congruat, quam Baluzii, & aliorum Gallorum; Pippi-  
nus à quo per Maximam Carolum, & Religiosissimum Ludovicum Imperato-  
res, duxit Rex noster originem, expositâ necessitate hujus Regni, Zacharia Ro-  
mano Pape in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, ejus accepit consen-  
sum, ut acerbitati temporis industriâ sibi probatissimorum decedentibus Episcopis  
mederetur; ne forte simplicitate Pontificum posset contingere, quod in hac He-  
duoran urbe, cujus nos nunc cura exercet, evenit. Proinde suppetere ut hono-  
rem à Papa Romano Majoribus ejus, & Regibus, & Imperatoribus concessum  
à Lugdunensibus Ecclesia Metropolitanis, cui, Autore Deo, praesidet nunquam  
hactenus infirmatum, à vobis nullâ vestrà injuriâ consequatur. Nonne igitur  
ex confessione Caroli Calvi jus, quo utebantur Reges in  
dandis Episcopatibus, non ex ipsorum autoritate, sed ex consensu,  
atque concessione summorum Pontificum fluebat?

9. Sed, ut jam insinuavimus, circa jus dandorum Episco-  
patuum, non est diutiùs hærendum, quandoquidem constat,  
modò Regem Christianissimum ad illos non nominare, nisi  
ex concessione Sedis Apostolica, in Concordatis inter Leonem X. Pa-  
pam, & Franciscum I. Franciæ Regem initis contentâ. Ve-  
rùm prætermittere non debeo Baluzium, si voces illas, nos verò  
Galli, universim accipiat, ut videtur, cum indefinitæ sint,  
falsò sibi tam celebre consortium tribuere.

10. Etenim secùs sentiebat Clerus Gallicanus in Conventu  
Melodunensi congregatus anno 1579. quandoquidem decre-  
vit, cavendum, ne articulis ad disciplinam, seu politiam  
Ecclesiasticam pertinentibus, aliqua jurisdictio Regi tribueretur,  
sed rogaretur humillimè, ut iis, quæ à Clero statue-  
rentur, autoritas Regis accederet ad executionem; utque  
cunctis suis Officialibus, & aliis præciperet ad id opem ferre,  
quatenùs requirerentur, & non ampliùs. In act. Cleri Gall.  
tom. 5. ult. edit. parte 8. tit. 2. Illi ergò Galli, Reges suos submove-  
bant prorsùs à rebus sacris, ab iis nimirum, quæ disciplinam Ecclesiasticam  
10.

respicunt, nisi quatenus eorum imploraretur auxilium ad procurandam executionem, quod eis officium nec Baronius, nec Transalpinæ gentes negant, imò impositum docent.

11. Nisi Baluzium Marcæ sui mentem non ignorasse verisimile videretur, dubitarem etiam an eam perfectè exhiberet, cum ait loco suprâ citato, Reges Franciæ *jure suo, jure proprio* Episcopos præfecisse Ecclesiis vacantibus. Illa enim verba videntur omnem submovere concessionem Ecclesiæ; cum tamen constet ex ipsomet Marca lib. 6. cap. 3. §§. 1. & 2. Reges Franciæ, etiam postquam fidem Christianam susceperunt, eam sibi autoritatem non vindicasse. Concilium Aurelianense quintum anno 549. primam fecit Regii consensus mentionem. Majorem sensim autoritatem Principes in se traxerunt, ut fieri solet, dum ad Ecclesiasticam admittuntur. Restitit tamen Ecclesia, ut videre est in Concilio tertio Parisiensi anno 557. cap. 8. electionum libertatem contra Principis imperium defendente; Nec potuit legitima esse illa Regum potestas donec Ecclesiæ consensus accessit. Id etiam insinuare videtur Marca lib. 8. cap. 11. §. 5. ad quem locum alludit Baluzius ubi suprâ, dum ait, verba Lupi esse intelligenda de ratihabitione. *Ratum enim quis habere non potest, quod ipse nomine non est gestum.* de regul. jur. reg. 9.

12. Cæterum nec Marcæ nec Baluzio decorum cordati Catholici ducent, quòd magis faverint Principibus adversus Ecclesiam, quàm famosus ille Apostata Marcus Antonius de Dominis. Hoc enim est principium notæ suprâ dictæ Baluzii, ut integram exhibeamus; *Hunc locum ita intelligendum putat Marcus Antonius de Dominis, ut Pipino tunc fuerit concessum, ut posset solus personas promovendas ad Episcopatus eligere, & curare consecrandas, absque ullo Ecclesiasticorum consensu, nisi pro sola consecratione, ut ex ipsius Lupi verbis colligi posse ait. In quo Papa, derogans juri Ecclesiastico, jus Principum in eo Regno auxerit. Marca verò existimat eum locum esse intelligendum de ratihabitione Zachariæ, qui rectè, atque ordine factum censuerat à Pipino, & Carlomanno, quando ii jure proprio Episcopos instituerant. Nam diù ante Zachariæ tempora, Reges Episcopos jure suo præfeciunt Ecclesiis vacantibus, ut multis exemplis ostendit Marca.*

*De autoritate Regum Franciæ in condendis Capitularibus circa res Ecclesiasticas.*

1. **B**aluzius in præfatione ad Capitularia Regum Francorum, quæ edidit anno 1677. §. 10. Insignem, atrocemque injuriam sacrosanctæ Principum Dignitati factam dicit à Gretsero, quia pronunciavit; Pippinum, Carolum magnum, & alios Francorum Reges, qui leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condiderunt, non suâ præcisè autoritate id fecisse, sed natu, & permisso Episcoporum, approbantibus Episcopis, & Conciliis, inò pleraque eorum Capitularium autoritate Romanorum Pontificum condita fuisse. Itaque ex Baluzio, Francorum Reges, qui leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condiderunt, suâ præcisè autoritate id fecerunt. Ergo vel non sunt distinctæ potestates, Ecclesiastica, & sæcularis: vel solis Principibus data est à Christo autoritas leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condendi. Utrum concedet Baluzius? neutrum sanè, quandoquidem Catholicus est. Atqui non datur medium. Siquis enim reponat inter Pontifices & Principes divisam esse autoritatem, ita ut ambos concurrere necesse sit, negabit Baluzius; Et insignem, atrocemque injuriam sacrosanctæ Principum Dignitati factam conqueretur, si eis leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condentibus, adjungatur natus, & permisso Episcoporum, approbatio Episcoporum, & Conciliorum, autoritas Romanorum Pontificum. Nam suâ præcisè autoritate id fecisse illos pro virili defendet.

2. Quamobrem benè accidit Gretsero, quod nec instituti ratio, nec angusti præfationis limites siverunt, ut Baluzius ejus scriptionem pluribus verbis reselleret. Justam enim passus fuisset erubescitiam, quam commertus est, quando abusus verbis Christi Domini, quibus claves Regni Cælorum Petro, & successoribus ejus promisit, omnem de rebus Ecclesiasticis discernendi autoritatem ademit Principibus, nec Imperatorem inquiring, nec Regem, quâ talis est, ullam Ecclesiasticam jurisdictionem habere. Verùm si Imperator, vel Rex, quâ talis est, de rebus Ecclesiasticis discernendi

nendi auctoritatem habet : Habuerunt illam etiam Infideles & Paganī, siquidem verè Imperatores aut Reges extiterunt, non obstante infidelitate. Itaque potuit Nero, potuit Diocletianus, potuerunt alii similes *leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condere; idque sua præcisè auctoritate.* Quis Catholicus id patiens audiat?

3. Contendunt Galli supremam Regis in temporalibus potestatem Ecclesiasticæ potestati nullo modo subiacere : cur similem saltem prærogativam negant Ecclesiasticæ jurisdictioni, ut Laicæ non supponatur in spiritualibus, & Ecclesiasticis? Sint saltem, ut voluit alius scriptor Gallicanus, tanquam duæ lineæ parallelæ, quæ quantumvis procedant, nunquam sibi invicem occurrunt, aut inter se conjunguntur. Claudicat hæc paritas apud Baluzium. Ordo est, seu subordinatio in potestatibus circa *leges Ecclesiasticas.* Ergo, ut in hujusmodi negotiis Laici Clericis subdantur. Econtra verò. *Satis erit, inquit Baluzius, uno verbo admonuisse, non ita ut Gretsero visum est, ab Episcoporum nutu, ac permissu pependisse olim potestatem Regum nostrorum in ferendis legibus Ecclesiasticis, cum contrà constet Constitutiones Ecclesiasticas Episcoporum in Consistorio Principum examinari solitas ayo Caroli Magni.*

4. Ne objicias, impatiens Lector, de *sæculo* loqui Baluzium non de *jure*: neque præceptum judicium de hujusmodi examine ferendum esse, cum possit aliquandò tam bono fine, ac cum tanta modestia fieri, ut inculpabile videatur. Non patitur Baluzius interpretem: ipse continuò exponit, quorsum *constitutiones Ecclesiasticæ Episcoporum in Consistorio Principum examinari soleant, subjungens; Et eorum confirmatione indiguisse, ut valeant; Non solum ut interveniente Principum auctoritate faciliùs reciperentur, & efficacius executioni demandarentur, sed ut valeant.*

5. Hinc inferes quid concludendum sit ex Baluzii, & Marcæ principiis, si conferantur inter se potestas summi Pontificis & potestas Regis Christianissimi circa Constitutiones Ecclesiasticas Episcoporum: quandoquidem Baluzius in hoc loco docet illas, *Principum confirmatione indigere ut valeant*: in lib. autem 6. de Concordia Sacerdotii ac Imperii, Domini de Marca, quem Baluzio debemus, pluribus in locis, præsertim cap. 14. §. 5. asseritur,

tur,

736 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
tur, quod *supremâ potestate fruebantur Concilia Provincialia Galliarum; jure consultationis Ecclesia Romanæ servato in majoribus causis; idque illo tempore, de quo supra loquebatur Baluzius. Sic enim incipit prædicti cap. 14. Marcæ §. 6. Avo Caroli Magni Concilium istiusmodi conservata est suprema potestas in judicandis Abbatibus, &c. Cap. autem 15. §. 3. statim atque, inquit, Summi Pontifices aboleri tentarunt supremam eorum in judicando potestatem, comminati sunt Episcopi, se ab eis celebrandis, quod inutilia futura sint, abstenturos. Additque effectum minas secutum. Itaque Decreta Conciliorum, Regum confirmatio indigent, ut valeant, Papæ confirmatio aded perniciosa est, ut præstet nulla celebrari Concilia Provincialia, quam ut Summi Pontificis confirmationi submittantur.*

6. Quomodo autem probat Baluzius *Constitutiones Ecclesiasticas Episcoporum, confirmatione Principum indiguisse, ut valerent. Hæc ratione, quam continuo profert; sanè Reges nostri tunc putabant, se terræ Dominos esse, non verò Episcoporum Vicedominos, Villicos, ac Ministros, quales eos facere voluisse videtur Gregorius. Testis est Carolus Calvus in Epistola scripta ad Hadrianum II. Papam anno 871. in causa Hincmari Episcopi Laudunensis. Verius dixisset; Testis est Hincmarus Remensis, in Laudunensem, ac in summum Pontificem, Caroli Calvi nomine, cum non auderet suo, verbis acerbissimis, cum alio modo non posset, iram suam explere quærens. Sed videamus quid scribat Carolus Calvus, seu Archiepiscopus Remensis ejus nomine; Reges Francorum ex Regio genere nati, non Episcoporum Vicedomini hætenus fuimus computati; & ut Leo ac Romana Synodus scripsit, Reges & Imperatores, quos terris Divina potentia præcepit præesse, jus distringendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta Divalia constituta permisissent, non autem Episcoporum Villici extiterunt. Et S. Augustinus dicit: per jura Regum possidentur possessiones, non autem per Episcopale Imperium Reges Villici sunt, Actoresque Episcoporum. Formandum erat Argumentum, non enim facile apparet consequentia. Reges non sunt Episcoporum Villici: ergo Constitutiones Ecclesiasticæ Episcoporum, Principum confirmatione indigent, ut valeant. Vel; Reges & Imperatores jus distringendorum negotiorum Episcopis sanctis juxta Divalia constituta permisissent: ergo Constitutiones Ecclesiasticæ Episcoporum, Principum confirmatione indigent, ut valeant. Vel etiam; Per jura Regum possidentur possessiones: ergo &c.*

7. Sed fortasse vel S. Leo cum Synodo Romana, vel S. Augustinus, à Carolo Calvo citati, Principibus illam auctoritatem

tatem tribuunt. Primò S. Leo cum Synodo Romana quidquam simile locutus non est, ut non ignorat Baluzius, qui ad marginem §. 5. cap. 12. lib. 4. D. Petri de Marca, ubi citatur hæc epistola, notavit vel ex propria eruditione, vel ex instructione sui Autoris. *Leonis epistola, que hic laudatur, non est Leonis Pape, ut visum Hinmaro, etiamsi hodie quoque edita sit inter epistolas Leonis: sed est Leonis Byturicensis Archiepiscopi scripta anno 484, ut observat vir clarissimus Jacobus Sirmondus.*

8. Deindè cujuscumque sit epistola, eò spectat, ut declaret excommunicatos Clericos illos, qui prætermissò Ecclesiastico judicio *secularem adierint potestatem*, quod ei summarium præfixit Pater Labbeus. Et ne qui fortasè obtenderent, quod illuc inviti traherentur; præoccupatur excusatio hæc ratione, quod etiam Principes hujusmodi negotia à Judicibus Ecclesiasticis tractari vellent. *Tantà seculi potestates circa Sacerdotalem hominem reverentiã prævalere, etiam hi, quos sub Imperiali nomine terris Divina providentia præesse præcepit, ut jus distingendorum negotiorum Episcopis sanctis, juxta Divalia constituta permisserint. Non autem affirmatur, illa judicia Principum confirmatione, vel etiam permissione egere, ut valeant: vel Ecclesiam non habere circa ejusmodi negotia jurisdictionem, nisi à Principibus. Imò insinuat hanc eis potestatem ex jure Canonico competere. Sequitur enim; Quod cum & juris antiqui formulis, & in latis frequentius sit legibus constitutum, &c. Nam jus illud antiquum de Ecclesiastico esse intelligendum indicat vox illa, formulis, quæ in eo sensu usurpatur, cum paulò post additur; Quocirca nobis visum est, ut hanc, & sacra Legis, & nostri Ordinis contumeliam, & ad præsens ulcisceretur plena districtio, & observandam formulam constitueret in futurum. Censemus itaque, ut quicumque prætermisso sacerdote Ecclesia sua ad disceptationem venerit secularium, sacris Liminibus expulsus à Cælesti arceatur Altario: neque ullus post hanc definitionem, qua communi sedit arbitrio, &c.*

9. Sanctus autem Augustinus tract. 6. in Joan. undè verba citata desumpta sunt, probat Donatistas ab Ecclesia damnatos, & in schismate obstinatos justè potuisse bonis ad Ecclesias pertinentibus spoliari, non ut ea sibi Princeps adscriberet, sed ut Præsulibus Catholicis reddenda curaret. Quid indè concludendum, nisi, qui ab Ecclesia se separant, post se, postulantes Catholicis, & legitimis Pastoribus, justè

A a a a

ab



738 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
ab Imperatoribus, & Principibus; etiam per privationem  
possessionum temporalium indebitè occupatarum coerceri?  
At, inquires, S. Augustinus docet, quod per jura Regum possiden-  
tur possessiones. An ita ut possint de rebus Deo consecratis, abs-  
que ullo Ecclesiæ judicio vel consensu, pro suo arbitrio, suâ  
præcisè autoritate, disponere? Neque S. Augustinum, neque  
pium aliquem Principem ità verè sensisse crediderim, nisi for-  
tè Adulatorum fraude circumventum; cùm etiam de bonis pro-  
fanis doceat S. Thomas quodl. 12. art. 24. ad primum. *Quod ve-  
rum est, quòd omnia sunt Principum ad gubernandum, non ad retinendum su-  
bi, vel ad dandum aliis: & si Leges tales sunt, Tyrannicae sunt, & non ab-  
solvunt à conscientia, sed à Foro judiciali, & violentia.*

10. Denique tametsi Principes, quod non credo, depof-  
sitionibus terrenis, etiam postquam Deo consecratae sunt,  
leges ferre possent absque prævio Ecclesiæ judicio, vel non  
accedente illius consensu: liceretne generatim Baluzio pro-  
nunciare Francorum Reges, qui Leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad  
restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condidère, suâ præcisè autoritate id  
fecisse? Aut jus illud, quo per illas tempestates utebantur Reges in dandis  
Episcopatibus, ex ipsorum autoritate fluxisse, non ex concessione Sedis  
Apostolicæ.

## C A P U T X I.

*An sine autoritate Ecclesiæ Reges Gallie Leges Eccle-  
siasticas, sive Capitularia condiderint.*

1. **N**Otato Gretsero arguitur Baronius à Baluzio §. seq.  
scilicet II. præfationis, quòd ex Benedicti verbis in-  
tellexerit omnia Capitularia à Romanis Pontificibus fuisse  
confirmata; *Contra manifesta, inquit, & aperta Benedicti verba: sic  
quidem Illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum Autor scri-  
bit ad an. 819. Ne tu igitur existimes, Lector, dum audis singulis ferme  
annis collectas per eosdem Imperatores Synodos, & sancitas Leges Ecclesiasticas,  
id absque Romani Pontificis autoritate ab eis esse tentatum. Qui Ludovici leges  
collegit, Benedictus Levita, in præfatione ipsis præposita hac habet: agnoscant,  
&c. Et infra; At non satis visum Christianissimis Imperatoribus nihil in-*  
con-

consultâ Apostolicâ Sede tentare, decernere, vel definire, sed qua ejus autoritate cœpta, atque perfectâ essent, adhuc tamen ipsis visa sunt indigere Romanorum Pontificum confirmatione antequam in publicum ederentur. Testatur hæc quidem ipse Benedictus Levita, qui in fine lib. 7. Capitularium à se collectorum hæc habet, &c. Mens Illustrissimi Cardinalis, quantum quidem ego assequor, est, Imperatores Gallicos sine autoritate Summi Pontificis Leges Ecclesiasticas nequaquam tulisse; imò verò sic latas ad majorem firmitatem rursus à Summis Pontificibus plerumque approbandas curasse. (Non enim puto sensitse Baronium subsequenter confirmationem, ita universim requisitam fuisse, ut universim intervenit, sive prævius, sive subsequens assensus) quòd ex variis indiciis conjicio. Primò enim, dum singulis fèrmè annis collectas per eosdem Imperatores Synodos, & sanctas Leges Ecclesiasticas cum Romani Pontificis autoritate asserit, non solis Benedicti verbis, ad tres tantum libros pertinentibus, id probat, sed ex aliis argumentis, quæ universim concludunt: petitam autem fuisse confirmationem, solo probat Ansegisi testimonio. Secundò, non utitur signis adeò generalibus, cum de confirmatione loquitur, sed verbis indefinitis, quæ hîc moraliter & ut in pluribus, intelligenda sunt; *Quæ ejus autoritate cœpta atque perfectâ essent, adhuc tamen indigere Romanorum Pontificum confirmatione.* Tertiò idem innuere videtur ipsa phrasîs; *Non satis visum Christianissimis Imperatoribus . . . . . adhuc ipsis visum, &c.*

2. Sed quæcumque fuerit mens Baronii, immeritò dicit Baluzius, ipsum *contra manifesta, & aperta Benedicti verba*, illum Autorem esse interpretatum. Nam primò aliud est in alicujus Scriptoris verbis amplius quàm sonent intelligere; aliud *contra manifesta, & aperta ejus verba* eum explicare. Hoc enim ultimum est, non solum plus, quàm Autor scripserit, illi tribuere, sed etiam illi sententiam, ejus verbis manifestis, & apertis significatæ, contrariam assignere. Nunquam autem Benedictus, *manifestis, & apertis verbis* negavit omnia Capitularia fuisse autoritate Sanctæ Sedis confirmata. Secundò, etiam si Baluzius Baronium accusasset deductæ tantum nimis generalis conclusionis ex verbis Benedicti, atque in eo sensu perperam intellexisse hujus *manifesta, & aperta verba*, quæ scilicet non potuerint ab Illustrissimo Cardinali in tam ampla significatione accipi;

740 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
non esset iusta accusatio. Vox enim illa, *Maximè*, quæ utitur Benedictus, de tribus ultimis libris loquens, innuere videtur aliorum etiam librorum Capitula fuisse confirmata, licet non tam expressè.

3. Referenda sunt Benedicti loca, ut pateat manifestius, an Baronius illa intellexerit *contra manifesta*, & *aperta verba*. Sic igitur Benedictus in præfatione ad tres ultimos libros à se collectos, est in fronte primi Libelli posita Zachariae Papae Epistola omnibus Episcopis, ac reliquis Ecclesiastici ordinis gradibus, & cunctis Ducibus, atque Comitibus, omnibusq; Deum timentibus per Gallias, & Francorum Provincias constitutis directæ, sicut in ea continetur. Quam sequuntur duo Synodales conventus, quos Sancta Romana, & Apostolica Ecclesia Legatus Bonifacius memorata Magontiacensis Ecclesia Archiepiscopus vice supradicti Zachariae Papae una cum Carlomanno Francorum Principe canonicè tenuit. Ut agnoscant omnes hac prædictorum Principum Capitula maximè Apostolicâ autoritate fore firmata. Post ista quoque quæ sequuntur, eadem autoritate, maximâ, ut diximus, ex parte, & omnium Francorum utriusque Ordinis virorum assensu sunt roborata. Ultimum autem Capitulum, libri scilicet 7. sic incipit, *Maximè* trium ultimorum Capitula istorum librorum Apostolicâ sunt cuncta autoritate roborata, quia his cudentis maximè Apostolica interfuit Legatio. Nam eorum nomina præter trium, id est, Leonis, Sergii, & Georgii hic non inserimus, licet ea per singulos Conventus inserta invenissimus, vitantes legentium, atque scribentium fastidia.

4. Quando Baronius à Balusio citatus loquitur de Capitularibus Regum Francorum, de illis agit, ut legentibus patet, quæ sunt à Principibus secundæ Dynastiæ condita, & ab Ansegiso Abbate, atque à Benedicto Levita collecta; sunt autem illa omnia non solum Romani Pontificis autoritate vel expressâ, vel saltem tacitâ, facta, quod præcipuè intendit Illustrissimus Cardinalis, sed etiam plerumque confirmata; atque adè illa Reges Francorum suâ præcisè autoritate non condiderunt; ut è contra contendit Baluzius. Nam Zacharias in ea epistola, quam præmittit Benedictus, & confirmat ea, quæ gesta erant in Synodo juxta ejus commonitionem adgregatâ, præsentibus S. Bonifacio Legato Apostolico, & Principibus Pipino, & Carlomanno; & Francos hortatur, ut singulis annis ad Concilium conveniant. *Ad Synodum namque omni anno convenite ad pertractandum de unitate Ecclesie, ut si quid adversi acciderit, radicali-*

dicium amputetur, & Dei Ecclesia maneat inconcussa. Nec dicas verba illa monitionem continere, non potestatem conferre. Satis enim constat ex Epistolis Bonifacii ad Zachariam, & Zachariæ ad Bonifacium, Principes Pipinum, & Carlomanum non antè convocasse Synodum, quàm petita, & obtenta fuisset S. Sedis facultas, & in hac ipsa epistola plura sunt, quæ auctoritatem Romani Pontificis significant, qualia sunt ista; *Dum Synodus adgregata esset in Provincia vestra Iuxta nostram COMMUNITIONEM, mediantibus filiis nostris Pippino, & Carlomanno Principibus vestris, peragente etiam vice nostra Metropolitano Bonifacio, &c. Obsecramus enim omnes vos coram Deo, ut ejus (Bonifacii) COMMUNITIONIBUS FIRMITER OBEDIATIS, &c. SI EI IN OMNIBUS OBEDIENTES EXTITERITIS, &c.*

5. Non errasset Baronius contra manifesta, & aperta Benedicci verba, etiamsi ex ejus testimonio conclusisset, generatim omnia Capitularia Regum Franciæ à sancta Sede fuisse confirmata; cum è contrà ex hac Zachariæ epistola planum fiat prima Capitula (reliqua enim sunt istis temporibus posteriora) fuisse expressè approbata, alia verò saltem tacite; cum verisimile sit, quod primò factum est, fuisse regulam sequentium. David Blondellus expressam fuisse omnium confirmationem judicavit. Sed cum sibi confutandum existimavit Baluzius §. 13. conjecturis summi Pontificis auctoritati faventibus repugnans, quibus cesserat Minister Calvinianus, adeòque sanctæ Sedis inimicus, quasque Baluzius nullo efficaci argumento impugnat, ne possit reponere corrigendum fuisse errorem certum, quantumvis in homine illo hæretico utilis videretur.

6. Verùm, ut diximus, præcipua intentio Baronii fuit, ostendere leges Ecclesiasticas à Principibus Francorum sine auctoritate Ecclesiæ, ac præcipuè sanctæ Sedis non fuisse conditas, idque variis argumentis probat ad suprascriptum annum 819. possetque adhuc aliis confirmari. Nec valet argumentum negativum ex eo sumptum, quod in omnibus Capitularibus non fiat ejus auctoritatis mentio. Licet enim solius Principis nomen aliquando præferant, quia non ità subtiliter omnia distinguebantur post horrendam Ecclesiæ Gallicanæ confusionem: tamen ipsa negotiorum conditio, & utrius-

M. C.  
742 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
que potestatis distinctio suadent intervenisse in negotiis Ec-  
clesiasticis Ecclesiasticam jurisdictionem.

7. Sed ne id gratis dictum objicerent Politici, extant lu-  
culenta ejus assertionis vestigia. Prima duo Concilia in Gal-  
lia congregata sub Principibus secundæ Dynastiæ, ac post  
luctuosam illam Ecclesiæ Gallicanæ calamitatem, quam Za-  
chariæ exponit Bonifacius in epistola, quæ cum responsione  
refertur ante illa Concilia à Sirmondo, & à Labbeo, fue-  
runt Liptinense an. 743. atque Sueffionense an. 744. Lipti-  
nense congregatum fuit, postquam Zacharias Bonifacio respon-  
dit; De eo autem, quod nobis intimasti, quod te Carlomannus filius noster  
ad se rogavit accedere, ut in urbe Regni Francorum in sua ditione, sive potesta-  
te constituta, Synodum celebrare debeas, eo quod omnis Ecclesiastica regula,  
sive disciplina ab eadem Provincia funditus est abolita, quod nimis mærendum  
est, quod per spatia temporum ibidem Synodus Sacerdotum minime celebrata sit,  
& hoc libenter concedimus, & hoc fieri præcipimus. Nota in his ultimis  
verbis, hoc fieri præcipimus, non nudum assensum à Romano  
Pontifice præstitum, sed auctoritatem interpositam. In præ-  
fatione ejus Concilii loquitur Carlomannus, quasi ipse præ-  
cipuus esset Legislator, Episcopi autem ejus Consiliarii. In  
nōmine Domini nostri Jesu Christi. Ego Carlomannus Dux, & Princeps  
Francorum anno ab incarnatione Domini 743. videlicet Kalendis Maii cum  
consilio servorum Dei, & Optimatum meorum Episcopos, qui in Regno meo  
sunt, cum Presbyteris ad Concilium, & Synodum pro timore Christi congre-  
gavi . . . ut mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei, & Ecclesiastica Reli-  
gio recuperetur, qua in diebus præteritorum Principum corruit. Et Can. 1.  
Itaque per consilium sacerdotum, Religiosorum, & Optimatum meorum ordina-  
vimus per Civitates Episcopos, &c. Ità Carlomannus de Concilio  
Germanico, quod Liptinense præcesserat, quodque à Lipti-  
nensi receptum est, eademque dicendi formâ utitur in Ca-  
nonibus Liptinensibus; statuimus, præcipimus, decrevimus. Verum-  
tamen Carlomannum non suâ præcisè auctoritate id fecisse probat  
Epist. 105. prædicti S. Bonifacii, cujus fragmentum refert  
Sirmondus tom. 1. Concil. Gall. pag. 583. cum hoc titu-  
lo; De Canonibus & statutis Synodi a Bonifacio jussu Pontificis Romani, &  
rogatu Principum Francorum, & Gallorum celebrata. Sic autem Bonifa-  
cius Cudbertum alloquitur; quia putamus vos libentius scire velle,  
quàm nescire, qua hic Sacerdotes nobiscum servanda decreverunt, vobis emen-  
danda

danda, & corrigenda destinamus. Decrevimus autem in nostro Synodali conventu, & confessi sumus fidem Catholicam, & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ, sine tenus vita nostra, velle servare. S. Petro & Vicario ejus velle subijci: Synodum per omnes annos congregare; Metropolitanos pallia ab illa sede quærere, & per omnia, præcepta Petri canonicè sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur, & isti confessioni universi consensimus, & subscripsimus, & ad corpus sancti Petri Principis Apostolorum direximus quod gratulando Clerus & Pontifex Romanus suscepit, statuimus, &c. decrevimus, &c. ex quibus, & aliis verbis liquet præivisse auctoritatem Ecclesiæ Carlomanno illa Capitula edenti.

8. Id adhuc clariùs patet in Concilio Sueffionensi. Nam licet in præfatione Pippinus ita loquatur. Ego Pippinus Dux, & Princeps Francorum. Dum pluribus non habetur incognitum, qualiter nos in Dei nomine, una cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, vel servorum Dei consilio, sive Comitum, & Optimatum Francorum, Colloqui apud Sueffionis Civitatem Synodum, vel Concilium facere decrevimus, quod ita in Dei nomine, & fecimus. Primò imprimis constituimus fidem Catholicam, &c. Ubi videtur similiter Pippinus statuere, Episcopi autem tantum consulere: tamen conclusio, sive Canon ultimus sic habet; Si quis contra hoc Decretum, quod viginti tres Episcopi, cum aliis Sacerdotibus, vel servis Dei unà cum consensu Principis Pippini, vel Optimatum Francorum consilio constituerunt, transgredi, vel legem irumpere voluerit, vel despexerit, judicandus sit ab ipso Principe, vel Episcopis, vel Comitibus; ubi Canonum constitutio Episcopis, consensus autem Principi tribuitur.

9. Observa in his exemplis, quàm parùm fuerint sollicitæ olim potestates de discernendis limitibus, & distinguendis officiis suis: cum alicubi alteri tribuatur, quod aliundè constat ab altera præstitum, aut communi consensu peractum; ut vix ex loquendi formulis argumentari liceat, ad statuenda cujusque potestatis jura, sed assumenda sint certiora principia. Undè intelliges non rectè Gallos ad statuendam Regum suorum potestatem in res Ecclesiasticas omisâ discussione Juris ad exempla recurrere, in quibus non ita reluctet Ecclesiasticæ jurisdictionis exercitium. Cum enim illam in aliis exemplis, in quibus sola videbatur dominari potestas laica, robur suum obtinuisse manifestè conspiciamus, cur eam à reliquis exclusam censebimus, in quibus non ita luculenter apparet?

Cur

M. C.  
De  
Libertatibus  
Ecclesie  
CIII  
236

744 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
Cur non existimabimus, in sequentibus Synodis eundem,  
qui in Sueffionensi, ordinem fuisse servatum, atque adeò  
*Episcopos constituisse, Principes consensisse*, etiamsi soli Principes de-  
crevisse videantur; quod forte in ista factum contenderent  
Galli, ob præfationem, nisi conclusionem revincerent: Cùm  
Liptinensis, quæ omnium sub secunda Dynastia celebratarum  
prima est, nonnisi post consensum, imò & præceptum Ro-  
mani Pontificis congregata sit; cùm & Liptinensi, & Suef-  
sionensi, sicut Germanico præfederit S. Bonifacius Sedis  
Apostolicæ Legatus: cùm Zacharias Francis scripserit, ut  
ad Synodum singulis annis convenirent, & ea, quæ jam ab  
ipsis decreta erant, probaverit; cur ejus autoritas arcebitur à  
reliquis Conciliis, in quibus Capitularia edita, vel à quibus  
desumpta sunt? Trium quidem librorum capitula, quæ col-  
legit Benedictus, fuisse autoritate sanctæ Sedis maximà ex  
parte collecta, ipsummet testatum jam supra vidimus. Non  
desunt argumenta generalia, quæ suadeant non abfuisse à re-  
liquis autoritatem Apostolicam.

10. Ejusmodi sunt, quæ profert Baronius ad annum 770.  
ex lib. 6. Capitular. cap. 187. *Autoritas Ecclesiastica, atque Canonica  
docet, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Undè  
infert Illustrissimus Cardinalis, Francorum Reges hanc legem  
secutos. Eundem à sancta Sede præstitum Capitularibus con-  
sensum colligit ad annum 801. & ad annum 819. ex accurata  
obedientia, quam Carolus Magnus, & Ludovicus Pius sanctæ  
Sedi præstari volebant. *Ita unanimes, inquit Ludovicus Pius,  
ut recitat Benedictus Capitular. lib. 6. cap. 267. Divinis, &  
Apostolicis constitutionibus servatis, ut in nullo patiamini pia Canonum De-  
creta violari. Ut nulli fas sit sine statùs sui periculo, vel Divinas constitutio-  
nes, vel Apostolicæ Sedis Decreta temerare. Ut igitur Francorum Reges,  
qui leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam dis-  
ciplinam Ecclesiasticam condidère, non suà præcisè autori-  
tate, id fecisse sentiamus; sufficit, ut sciamus per Apostolicæ  
Sedis Decreta, quæ temerare non licet, vetitum esse sæcularibus  
de rebus Ecclesiasticis proprià autoritate decernere. Sic enim  
decernitur in Concilio IV. Romano sub Symmacho Papa; Laicis,  
quamvis Religiosis, nulla de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur  
iniquam attributa facultas. Refertur dist. 96. Ca. Bene quidem, & in Ca-  
pitu-*

pitular. Regum Franc. lib. 5. cap. 403. ubi Baluzius ipse multos alios Scriptores citat illud referentes, ac speciatim Concilium Trosleianum cap. 3. in quo, ut dicemus, Capitularia vocat *Canonum Pedissequa*.

11. Præterea cur Adrianus Primus Codicem Canonum, & Decretalium Summorum Pontificum Carolo Magno Romæ dederat, nisi ut eorum executionem procuraret, quod indicat ultimus versus epistolæ illi Codici præfixæ; *A lege nunquam discede, hæc observans statuta?* Quæ Principes, & Reges Franciæ agebant, non solum annuentibus, sed etiam hortantibus, atque rogantibus Pontificibus, atque adeo necessariam potestatem concedentibus, præstabant. Quamobrem, si quod occurrebat dubium, consulebant sanctam Sedem, non solum circa fidem, sed etiam circa disciplinam, non illud *sua præcisè autoritate* declarabant. Exempla multa sunt, ut Pipini in epist. 7. Zachariæ: Caroli Magni, & Ludovici Pii in Capitular. lib. 6. capp. 96. & 267. lib. 7. cap. 91. 104. 187. 205. 267. Addit. 4. lib. 7. cap. 12.

12. Ego certè, cum lego Christianissimos illos Principes, & Sanctæ Sedis, & Gallicanorum Episcoporum licentiam petiisse in rebus, in quibus hodie Reges illam postulare dedignarentur, ægrè possum modernis Scriptoribus Gallicis assentiri, asserentibus illos *leges Ecclesiasticas, sive Capitularia ad restaurandam disciplinam Ecclesiasticam condidisse sua præcisè autoritate*. Quis v. g. hoc sentiat de Carolo Magno, de quo istud legitur in Concilio Francofordiensi anno 794. habito, cap. 55. *Dixit etiam Dominus Rex in eadem Synodo se à Sede Apostolica, idest ab Adriano Pontifice licentiam habuisse, ut Angilrammum Archiepiscopum in suo Palatio assidue haberet propter utilitates Ecclesiasticas. Deprecatus est eandem Synodum, ut eo modo, sicut Angilrammum habuerat, ita etiam Hildebaldum Episcopum habere debuisset; quia & de eodem, sicut & de Angilrammo, Apostolicam licentiam habeat. Omnis Synodus consensit, & placuit eis eum in Palatio esse debere propter utilitates Ecclesiasticas.*



*De Capitularibus Regum Francorum primæ Dynastiæ.*

1. **I**Tà certum est Principes Francorum secundæ Dynastiæ cum assensu Ecclesiæ Capitularia circa res Ecclesiasticas edidisse, ut fortè non defuturi sint, qui ad defendendam illam Baluzii sententiam, scilicet, editionem Capitulorum Regibus jure proprio, non ex concessione, aut consensu Ecclesiæ, competere, reponant Pippinum & Carlomanum idè plurimum Ecclesiæ detulisse; quia cum sibi conscii essent usurpati Principatûs, sanguinis, ac successionis jure sibi non debiti, è re illorum erat summos Pontifices, & Episcopos quorum maxima erat apud religiosum Populum autoritas, demereri, atque illorum ope Dignitatem sibi asserere: Pippini autem filium, & Nepotem, ejus agendi rationem imitatos; cumque pii essent, in conservando jure Regio non ità cautè, ac subtiliter erga Ecclesiam se habuisse. Quamobrem non sunt omninò prætermittenda Regum primæ Dynastiæ Capitularia; ut sciamus quomodò illi se gesserint in negotiis Ecclesiasticis, atque quomodò agendum senserint. Nec enim quod æquum quisque novit, id semper sequitur.

2. In Capitularibus Regum Francorum à Stephano Baluzio collectis primum locum occupat Constitutio Childeberti Regis, data circa annum 554. In ejus principio declarat, quæ sint Principis partes in negotiis spiritualibus; scilicet, ut eorum autoritate compellantur rebelles ad obsequendum Divinis & Ecclesiasticis præceptis, dum Sacerdotum potestas eam obedientiam obtinere non valet. *Et quia, inquit, necesse est ut plebs, quæ Sacerdotis præcepta non ita ut oportet custodit, nostro etiam corrigatur Imperio: & prohibitis quibusdam sacrilegiis concludit; Quicumque post admonitionem Sacerdotum, vel nostrum præceptum sacrilegia ista perpetrare præsumserit, si servilis persona est, centum ictus flagellorum ut suscipiat jubemus, &c.*

3. Sequitur Constitutio Clotarii Regis data circa annum 560. cujus articulus sextus Judices sæculares in officio suo de-

lin-

linquentes Episcoporum correctioni subijcit : cum hodie vice versa Judices sæculares , prætextu abusus , Episcoporum , aliorumque Judicum Ecclesiasticorum sententias reforment ; imò & summi Pontificis Decreta effectum sortiri non patiantur in rebus etiam spiritualibus ; *si Judex , inquit Clotharius , aliquem contra legem injustè damnaverit in nostri absentia , ab Episcopis castigetur ; ut quod perperè judicavit , versatim melius discussione habitâ emendare procuret.* Hanc quidem facultatem Episcopis non concedit , nisi absente Rege , ad quem sine dubio pertinet priorum Officialium censura ; sed quâ possunt æquitate Scriptores Gallicani , Pastoribus Ecclesiasticis denegare potestatem efficiendi , ut Judices sæculares , dum apertè suâ jurisdictione abutuntur , præsertim in præjudicium Ecclesiæ , peccatum emendent ; permittere verò Judicibus sæcularibus , ut statim atque aliquis de Episcoporum judicio conqueritur , prætermissio Metropolitanæ , aliisque in Hierarchia Ecclesiastica superioribus , querelam admittant ; & si quem putent re verâ intercessisse defectum , eos multis pecuniariis plectant.

4. At , inquires , conditio Clothariæ constitutionis locum hodie non habet. Nunquam enim deest Rex , vel ejus consilium castigandis Judicibus contra legem injustè damnantibus ; adeoque Prælatorum curâ nihil est opus. Faxit Deus , ut ita se res habeat ; sed cur similiter Ecclesiasticorum Officialium emendatio legitimis eorum superioribus non relinquatur. Quia ( respondebis ) Superiores Ecclesiastici emendationem vel negligunt , vel recusant. Si ita esset , admonendi tantum essent sui officii : sed magis certè metuendum est , ne sæcularibus non tam propositum sit , negligentiam , vel malitiam Judicum Ecclesiasticorum supplere , aut emendare , quàm ad se illorum trahere jurisdictionem.

5. In eadem constitutione alii sunt articuli pro conservandis Ecclesiæ juribus. Sed notatu dignus est duodecimus , qui est hujusmodi ; *Quæcumque Ecclesie , vel Clericis , aut quibuslibet personis à gloriosa memoria præfatis Principibus munificentia largitate conlata sunt , omni firmitate perdurant.* Ex quibus constat aliam fuisse olim Regibus Christianissimis mentem , à recentium Aulicorum sententia , qui , cum jus Regaliæ nullâ solidâ ratione possent in omnes Gallicanas Provincias extendere , eò confugerunt , ut

748 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
vellent retractari donationes, aut veriùs restitutiones liber-  
tatis, olim Ecclesiis quibusdam à Principibus factas.

6. Refertur tertio loco præceptio Regis Guntramni an.  
585. in qua Rex Episcopos monet, ut propriis Gregibus  
invigilent. Sed ab illorum officio suum luculentissimè distin-  
guit, statuens, ut Judices sæculares opem Episcopis ferant:  
& si qui deliquisse comperti fuerint, à propriis Judicibus, sci-  
licet, Clerici secundùm Canones, Laici secundùm leges,  
emendantur. Et licet, inquit, absque nostra admonitione ad vos spe-  
cialiter predicandi causa pertineat, atramen, &c. Deinde, sed vos Aposto-  
lici Pontifices jungentes vobiscum consacerdotes vestros, & filios senioris Ec-  
clesiæ, ac Judices locorum, quoscumque agnoscitis, quos vite qualitas honesta  
commendat, ita universam Populi multitudinem, constanti, vel Deo placitè  
predicatione corrigit, ut & benè viventes mysticus adhortationis sermo imbuat,  
& excedentes ad viam recti itineris correctio Pastoralis adducat. Et  
post pauca; Quicumque Sacerdotum, aut Sæcularium intentione manifestè  
perdurantes cœlestis admoniti, emendare neglexerint, alios canonica severitas cor-  
rigat, alios legalis poena percussat.

7. Illustrissimus Dominus Petrus de Marca lib. 6. cap. 22.  
§. 7. Reges Conciliorum Canones examinare, atque tempe-  
rare posse contendens (quod tamen minus est, quam Leges Ec-  
clesiasticas suà præcisè autoritate condere) primum petit exemplum  
ab Edicto Clotharii II. Concilium Parisiense V. an. 615.  
confirmantis, & varios illius Canones modificantis. Sed  
Clotharius II. in Edicto illo profitetur, se cum Episcopis,  
quæ præcipiebat, constituisse. Quicumque, inquit, hanc deli-  
berationem, quam cum Pontificibus, vel tam magnis viris optimatibus, aut  
saculis nostris in synodali Concilio institimus, temerare præsumpserit, in ip-  
sum capitali sententiâ judicetur, qualiter alii non debeant similia perpetrare:  
ex quibus verbis apertè colligitur Regem illum juxta men-  
tem Episcoporum, ac cum illorum consensu Canones inter-  
pretatum esse, aut, si mavis, temperasse.

8. Sed & Lupus Abbas Ferrariensis in illa epist. 81. cujus  
occasione Baluzius Cardinalem Baronium immeritò arguit,  
quæque scripta est ad Amulum Archiepiscopum Lugdunen-  
sem Guenilonis, & Gherardi nomine, quæ essent Sacerdo-  
tum, quæ verò Regis partes optimè distinxit. Præcepit itaque  
(inquit, loquens de Rege Carolo Calvo.) ut ejus vobis sermo-  
nibus

nibus diceremus, se fideliter tenere, quod Rex Regum, idemque Sacerdos Sacerdotum, qui solus potuit Ecclesiam regere, quam redemit, postquam humanitatem suam in Cælum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestatem suam ad eandem gubernandam Ecclesiam inter Sacerdotes divisit, & Reges; ut quod Sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges. Ecce Principum sæcularium officium; ut quod Sancti docerent Pontifices, & ipsi implerent, & impleri facerent devotissimi Reges. Pontificum igitur est regulas Ecclesiasticas condere; Regum autem eas exequi, & ut subditi exequantur efficere, quod præstant, & libentius, cum de illorum assensu constitutæ sunt, & efficacius, cum præceptis, & censuris Ecclesiasticis pœnas temporales adjungunt.

9. Ex iis igitur, quæ à pluribus Franciæ Regibus gesta rectè videntur, (sunt enim à nonnullis multa iniquè facta) certò infertur, Reges Christianissimos erga Ecclesiam, & Ecclesiasticam disciplinam fuisse optimè affectos, restaurandæ canonicæ politicæ, ac promovendæ religionis studiosissimos; ideoque diligentissimam, & constantissimam operam dedisse, ut Concilia, quæ adversus omnia Religionis, morum, ac disciplinæ vulnera, remedia sunt efficacissima, frequentissimè celebrarentur; eorumque Canones, adjectis pœnis temporalibus, exequendos curasse. Cæterùm, si ex singulis, quæ tunc fiebant, argumentari liceat ad adstruendam Principum sæcularium in res Ecclesiasticas auctoritatem; poterunt etiam inde argumenta duci ad vindicandam Ecclesiæ potestatem, non solum in bona, & jura temporalia Regni, sed etiam in Coronam ipsam Regiam; concludendumque penes Ecclesiam esse, Reges destituere, ac restituere; quia Ludovicus Pius Autoribus Episcopis depositus fuit ab Imperio, & Regno, ac postmodum restitutus; denique Regnum secundum voluntatem Episcoporum erit administrandum, nam cum recessisset Lotharius Ludovici Pii Filius, Ludovicus & Carolus ejus Fratres ditionem sibi sine assensu Episcoporum non vindicarunt, ut narrat Nithardus Caroli Magni Nepos ex filia hist. lib. 4. init. quæ extat tom. 2. Andree Duchesne; *Et primum quidem visum est, ut rem ad Episcopos Sacerdotesque, quorum aderat pars maxima, conferrent. Sed non consenserunt Episcopi, nisi prius certi facti, rectum fore illorum*

750 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
regimen. Polliciti sunt autem Principes se omnia secundum  
voluntatem Episcoporum facturos, quos, ut eam curam assu-  
merent, obtestati sunt; Respondentibus autem in quantum nosse ac posse  
Deus illis concederet, secundum suam voluntatem se & suos gubernare & regere  
velle, aiunt; & autoritate Divinâ, ut illud suscipiatis, & secundum Dei  
voluntatem illud regatis monemus, hortamur, atque precipimus. Non mi-  
nus legitimè argumentaretur, qui ex hac historia concluderet,  
secundum voluntatem Episcoporum Reges, & Populos  
eis subditos, esse gubernandos; quàm Aulici, dum ex qui-  
busdam antiquorum Regum factis aut verbis æquivocis in-  
ferunt, Principes suâ præcisè autoritate posse leges Eccle-  
siasticas condere. Initio secundæ Dynastiæ tanta erat circa  
Regni negotia Episcoporum facultas, ut, si ex illius tem-  
poris exemplis judicandum sit, plus Ecclesia in Regnum habi-  
tura sit autoritatis, quàm Regibus in Ecclesiam tribuatur:  
ut norunt Periti historiæ illius Nationis. Verùm mutuam  
utriusque potestatis consensionem in bonum Regni, & Ec-  
clesiæ imitari præstaret, quàm hinc aut illinc Regum, aut  
Episcoporum exempla trahere ad confirmandam alterutrius in  
alterius jura invasionem.

10. Longè aliter quàm Baluzius de Capitularibus Regum  
Francorum sentiebant an. 909. Patres Concilii Trolesiani,  
licet Galli. Hi enim cap. 3. non dubitarunt Capitularia, Ca-  
nonum pedissequa vocare, quia scilicet Canones tantum secuta  
fuerant, & in eorum executionem edita.

### C A P U T X I I I.

*Libertates Ecclesiæ Gallicanæ in aliis sensibus acceptæ.*

1. **L**ibertates Ecclesiæ Gallicanæ à variis variè accipi pro-  
rum, qui res in Gallia gestas rescire satagunt. Principio quid-  
dem omnes Ordines exactam Canonum antiquiorum obser-  
vantiam obtendebant: sed quia longiùs ab ea recedebant plu-  
rima, quæ à Laicis, plurima etiam, quæ ab Ecclesiasticis vi-  
ris usurpabantur, detorquenda fuit nuncupatio illa à prima  
ria

ria sua significatione , ad aliàs admodùm diversas , aut etiam contrarias.

2. Exeunte postremo sæculo Petrus Pithæus Bibliothecæ Regiæ Præfectus libellum suum de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ scripsit ; in quo duo principia constituit , quorum alterum Regiam jurisdictionem in Ecclesiam amplificat , alterum summi Pontificis in Galliam potestatem constringit ; atque ex duobus illis fontibus quamplurima capita derivat. Opus illud , cùm privati esset hominis , nullius erat auctoritatis : imò nec totius Galliæ sententiam exponere censebatur. Quin ei potius Clerus refragari se multifariam significavit. Attamen quia nihil est , quod alicui aliquando non videatur commodum , incipit Tractatus ille per articulos citari , quasi antiqui illius Codicis Canones , in quibus observandis sita dicebatur libertas Ecclesiæ tùm universæ , tùm Gallicanæ , continentis loco successisset , ejusque interpretatio è commentario , ceterùm à Glossa communiter recepta peti.

3. In lite nuper à Senatu Parisiensi definita inter Illustrissimum Episcopum Cadurcensem , & nobilissimum Comitem de Marsano circa pensionem prædicto Comiti super fructibus præfati Episcopatus assignatam , instabat Reverendissimus Episcopus observandos Canones , quibus adversari videbatur pensio , præsertim in favorem Bigami Constituta ; atque ita primariæ libertatum suarum definitioni inhærere videbatur. Nobilissimus Comes negabat esse veram , & sinceram libertatum Gallicanarum naturam ; suumque intentum probabat plurimis exemplis Episcoporum , atque aliorum Ecclesiasticorum virorum super Canonibus secum dispensari postulantium , v. g. ad demigrandum ab una Sede ad aliam , ad plura simul Beneficia obtinenda , ad Beneficia Regularia in Commendam recipienda , contra regulam Regularia Regularibus , &c. Reponabant Actores Cleri Gallicani Domino Episcopo Cadurcensi sese adjunctes : quasdam quidem ex illis dispensationibus à Conciliis generalibus fuisse approbatas ; alias autem puta Beneficiorum commendas ab usu , & à Conciliis Provincialibus esse confirmatas , quasi usus Galliæ & Conciliorum Provincialium sententia idem essent , ac

Ca.

752 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS, &c.  
Canones Conciliorum generalium, quibus contineri dice-  
bantur prædictæ libertates, ut observare licuit in actis typis  
editis, hucque perlatis.

4. Omnes autem libellum Pithæi, dum sibi favere putabant,  
quasi Codicem Canonum libertatum suarum allegabant; ut  
rursus videas speciosum illud nomen, quod primum ad sig-  
nificandam defensionem adversus injurias Conciliorum gene-  
ralium Canonibus contrarias inductum videbatur, hodiè  
multipliciter equivocum evasisse, ac variè à variis, prout  
commodum videtur, usurpari, quod plurimis aliis exemplis  
posset confirmari.

5. Sed quod vehementer deplendum est, nulli sæpius usui  
deservit, quàm ut Ecclesia potestatibus sæcularibus subji-  
ciatur, ac ejus jurisdictio ad sæculares Judices trahatur. Id sæ-  
pissimè sensit Clerus Gallicanus, saltem circa suam, ut testan-  
tur ejus acta, & monimenta, quorum nonnulla sunt à no-  
bis citata. Itaque experitur Ecclesiasticus Ordo quàm sibi  
noxium fuerit potestatem sæcularem adversus Pontificiam  
implorasse. Utinam antiquam erga sanctam Sedem observan-  
tiam resumens, debitam sibi à Laicis ipse recuperare me-  
reatur.

